D. Rome; sanctorum martyrum ducentorum sexaginta, temporibus Claudii; qui in uia salaria harenam fodientes dampnati fuerant pro Cristi nomine. Quos inssit Claudius ut in fligema foris muros porte Salarie mitterentur, et eo loco inclusi in ciuitatis amphiteatro militum sagittis interfecerentur. Eodem die; sancti Dauid.

vi. Non. Marcij.

E. Rome, uia Latina; sanctorum Uiuini et Basilei, qui passi sunt sub Gallieno et Ualeriano imperatoribus. Et Simplicii pape, qui sedit Rome annis quindecim. Hic Acacium Constantinopolitanum episcopum, et Petrum Alexandrum episcopum Euticianos dampnavit. Eodem die; sancti Sedde episcopi et confessoris.

v. Non. Marcij.

F. Natalis sanctorum martirum Etnitherii et Celedonii, qui primum apud legionensem Galatie ciuitatem milites, exurgente persecutiones procella, pro confessione nominis Cristi plurimis afflicti tormentis, Callacurim usque perducti, ibi martirio coronati sunt.

Apud

Apud Cesaream Palestine; sanctorum martirum Marini militis, et Asterii senatoris, sub persecutione Ualeriani passorum.

iiii. Non. Martii.

G. Natalis sancti Lucii pape et martiris. Qui persecutione Ualeriani, et Gallieni, ob fidem Christi exilio religatus, et postmodum diuino nutu ad ecclesiam suam redire permissus, martirium capitis obtruncatione compleuit. Item Rome, uia Appia; sanctorum martirum nongentorum qui sunt positi in cimiterio ad sanctam Ceciliam. Eodem die; Gaii palitini in mare mersi.

iii. Non. Martii.

A. Apud Antiochiam; passio sancti Foce martiris. Qui post multas quas pro nomine Christi redemptoris et passus iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodie populis declaratur. Denique si in quempiam locum coluber morsum stringens uenena diffuderit, extimplo qui percussus est, ut ianuam basilice martiris credens attigerit, euacuata uirtute ueneni saluatur. Item ipso die; sancti Eusebii palatini, et aliorum nouem martirum.

ii. Non. Martii.

B. In Nicomedia; natalis sancti Uictoris, et Uictorini, qui per triennium cum Claudio et Bassa uxore eius afflicti et reclusi in carcere, ibidem uite sue cursum impleuerunt.

Non. Martij.

C. In Mauritania ciuitate Tiburtinorum; passio sanctarum martirum Perpetue et Felicitatis; et cum eis Reuocati, Saturnini et Secundoli. Quorum ultimus in pace quieuit. Reliqui omnes ad bestias tradidi sunt sub Seuero principe die natalis eius.

biii. Idus Marcij.

D. Apud Cartaginem; sancti Poncii diaconi, beati Cipriani episcopi; qui usque ad diem passionis eius cum ipso exilium sustinens; egregium uolumen uite et passionis ipsius reliquit, atque ad Dominum semper in passionibus suis glorificans; coronam uite promeruit.

bii. Id. Marcij.

E. Apud Misenam ciuitatem; sancti Gregorii episcopi fratris beati Basilii Cesariensis uiri doctissimi et eloquentia clarissimi. Apud Barcinonam; Paciani episcopi tam uita quam sermone clari. Qui optima senectute mortuus est, Thodosii principis tempore.

bi. Id. Marcij.

F. Natalis sanctorum martirum Alexandri, et Gade Eumenia; qui apud Uiennam persecutione Antonini uiri martirio coronati sunt. In Perside; natalis sanctorum martirum quadraginta duorum.

b. Id. Marcij.

G. Apud Sebastem Armenie minoris; quadraginta militum tempore Lucinii regis sub Agricolano; qui post uincula et carceres creberrimos, post lapidibus cesas facies, missi sunt in stagnum, ubi gelu constricta corpora eorum, nocte disrumpebantur. Vnus autem de numero quadraginta effectus pusillanimis, refugit ad balneum, moxque ut attigit calorem statim resolutus emisit spiritum. Quod uidentes ceteri, in laudes omnipotentis dei sancto spiritu confortati eruperunt. Mane autem facto impiissimi tyranni satellites inuenerunt clauicarium connumeratum martiribus unde unus ceciderat ex eisdem omnes tractos ad litus, baculis crura ipsorum confregerunt, atque ita crurifragio martyrium consummauerunt.

uerunt. Combusta sunt igitur corpora eorum et in fluuium proiecta; sed diuina dispensatione reliquie eorum integre reperte, et honore digno condite.

iiii. Id. Marcij.

A. Rome; beatorum pontificum Gregorii doctoris et apostoli Anglorum, qui sedit ibi annos tredecim, menses sex, dies decem; et Innocentij, qui rexit ecclesiam annos quindecim, menses duos, dies uiginti unum. Supradictus namque Gregorius, agmentauit in predicatione canonis ut est illud. Dies nostros in tua pace disponas. Apud Nichomediam beati Petri martiris qui unus fuit ex Dorothei et Gorgonii martyrum sodalibus qui in cubiculo regis erant. Item Nichomedie sanctorum Egduni presbiteri et aliorum septem qui diebus singulis suffocati sunt: ut ceteris metus incuteretur. Eodem die; sancti Maximiliani martiris.

iii. Id. Marcij.

B. Apud Nichomediam; natalis sanctorum Macedonii, et Patricie uxoris eius, et filie Modeste. Nicea ciuitate; natalis sanctorum martyrum Teusete, et Horris filii eius, Theodore, Nimfodore, Marci, Arabie, qui omnes igni traditi sunt.

ij. Id. Marcij.

C. Rome; martirum quadraginta octo, qui baptizati sunt a beato Petro apostolo, cum teneretur idem apostolus in custodia Mamurtini cum coapostolo suo Paulo, ubi nouem menses detenti sunt. Qui omnes sub deuotissima fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt.

Idus Marcij.

D. Apud Thessalonicam ciuitatem; natalis sancte Matrone. Que cum esset Plautille cuiusdam uidue ancilla, et occulte Christum co-

lens cotidie furtiuis orationibus ecclesiam frequentaret, deprehensa a domina sua multis ab ea uerberibus afflicta; nouissime fustibus usque ad mortem cesa, in confessione Christi incorruptum spiritum reddit. Eodem die; sanctorum filiorum Nessani.

xbii. Kal. Aprílis.

E. Rome; natalis sancti Cyriaci. Qui post longam carceris macerationum quam sub Maximiano pertulit, cum Sisinnio condiacono suo. et Smaragdo et Largo, post multa facta miracula in quibus filiam Diocliciani Artemiam ipsius rogatu a demonio curauit ac baptizauit; et multa alia post mortem Diocliciani tentus a filio eius Maximiano; et diutissime cruciatus postremo capite truncatus est cum Largo et Smaragdo, et aliis uiginti. Ipso tempore; Maximianus interfecit sororem suam Artemiam. Nicomedia; natalis sanctorum Castoris et Dionisii. Apud Uiennam; sancti Sicii episcopi.

xbi. Kal. Aprílis.

F. Apud Hyberniam occiani insulam; natalis sancti Patricii archiepiscopi Scotorum. Qui primus eosdem Scotos de gentilitate ad Christi fidem conuertit. Qui sacris moribus, castitati scilicet et ieiunio deditus, largis elemosinarum operibus et deuote oracioni intentus uigiliis quoque et laboribus creberrimisque predicationibus instanter inseruiens, plurimos Scotorum nobiles in utroque sexu constitutos, non solum ad fidem Christi, sed eciam ad dei seruitium in anchoritana et heremetica uita, relictis parentibus liberis et uxoribus agrorum ceterarumque diuitiarum possessionibus suis deo cooperante perduxit. Unde et primi sancti eiusdem insule confessores primum nectar baptismatis sancti Patricii episcopi nuncupantur. Sicut Paulus apostolus gentium apellatur, sic sanctus Patricius Scotorum apostolus nuncupatur. Vnde et

quadam

quadam prevaticinatione etiam ipsum nomen accepit. Patricius namque pater ciuium uel gentium interpretatur. Sicut enim postea in Apostolatum barbarice gentis Scotorum uerbo predicationis per aquam et spiritum sanctum ex baptismatis fonte, uelud ex matris utero regenerauit, merito eiusdem scilicet gentis pater nominatur. Inter quos autem conflictus et que certamina quo sui labores a diabolo ac malis hominibus eidem scilicet diabolo famulantibus sustulit, fari in hoc opusculo non est opus. Sed tantum ydola destruendo, aras ac eorum templa ritus cultusque subuertendo, uirum fortem, id est, dyabolum alligauit; et arma eius ac spolia abstulit, id est, gentilium animas diaboli cultu ad seruitium Christi perduxit. Vnde etiam animo et summa intentione persecutiones sustinendo martyr effectus, apostolus et predicator in conuertendo gentis ad fidem constitutus, episcopus baptizando, ungendo, crismatizando, et episcopos, presbiteros, diaconos, ceterosque gradus ecclesie ordinando perfectus; uigilias, ieiunia, et larga elemosinarum opera, ceteraque queque secundum apostolum episcopatui conueniunt, omnia in omnibus factus, ut omnes lucrifaceret exercendo, multiplicem uel eciam centuplicem ut ita dicam, coronam inter uiginti quatuor seniores accepit. Vnde eciam non solum in cimiterio in quo sanctum eiusdem beati Patricii corpus sepulture traditum fuerit, uerum eciam in omni loco ubicunque fuerit ipsius nomen inuocatum, mirande uirtutes et clara miracula luce clarius refulgent. Eodem die; sancte Geretrudis uirginis.

xv. Kal. Aprílis.

G. Natalis Alexandri episcopi, qui de Capadocia ciuitate sua ueniens cum desiderio sanctorum Ierosolimam pergeret, et Narcisus episcopus eiusdem urbis iam senex regeret ecclesiam; ipsi Narciso et multis clericorum eius reuelatum est altera die mane intrare

trare episcopum, qui adiutor sacerdotalis cathedre esse deberet. Itaque omnia ita completa ut predicta fuerant; cunctis in Palestina in unum congregatis, adnitente maxime Narciso, Ierosolimitane ecclesie cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decii cum iam longeue etatis ueneranda canicie perfulgeret, ductus Cesceram et clausus carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatus est. Eodem die, in Britannia; natalis sancti Eadwardi regis et martiris.

xiiii. Kal. Aprilis.

A. Apud Penarensem urbem; beati Johannis magne sanctitatis uiri, peruenit ad Italiam. Ibique locum sibi a deo preparatum inueniens, non paucos ad Christi seruitutem exemplo uite sue instruens, et multis uirtutibus clarus in pace quieuit. Eodem die, apud Surrentium; sanctorum Quinti et Quintilli et Quartilli martirum cum aliis nouem. Eodem die; Auxilli et Lactani.

xiii. Kal. Aprilis.

B. In Britannis; sancti Cuthberti qui ex anachorita ecclesie Lindifernensis antistes totam ab infantia usque ad senium uitam miraculorum inclitam duxit. Cuius cum undecim annis maneret corpus humatum, incorruptum est cum ueste qua tegebatur inuentum. Scribit sanctus Beda presbiter in libello de uita ipsius.

xii. Kal. Aprilis.

C. Apud Cassinum castrum; sancti Benedicti abbatis. Cuius uitam uirtutibus et miraculis gloriosam in dialogorum libris beatus papa scribit Gregorius. Eodem die; beati Serapionis anacorite. Et *in* teritorio Lugdunensi; sancti Lupicini abbatis Uirentium. Cuius uita sanctitatis et miraculorum gloria illustris fuit; corpus eius in finibus Uesontionum, Laoconense monasterium celebratur.

xi.

xi. Kal. Aprílis.

D. In Galliis ciuitate Narbone; sancti Pauli episcopi et confessoris, discipuli apostolorum Christi.

x. Kal. Aprílis.

E. In Affrica; sanctorum martirum Uictoriani, Frumentii, et alterius Frumentij, et duorum germanorum. Qui omnes persecutione Wandalica, sub Unirico rege Ariano apud Affricam, pro constantia catholice confessionis immanissimis suppliciis excruciati, egregie coronati sunt.

ix. Kal. Aprílis.

F. Rome; sancti Pingmeni presbiteri. Hic Julianum apostatam et impium a puero nutriuit, et literis etiam sacris erudiuit. Sed factus imperator, culturam pietatis postquam reliquit, audito quod corpora sanctorum qui ab eo necabantur idem Pingmenius sepeliret; mandauit ei; Perge quo uolueris, hic enim non necabitur uita tua; tamen seruitium tuum nunc reddam tibi. Tunc sanctus Pingmenius perrexit in Persidam ubi demoratus annis quatuor; factus est cecus. Postea per reuelationem Romam reuersus; uisus a Iuliano preceptum est ab eo Pingmenium per pontem in Tyberim precipitari, eo quod nomen domini Ihesu Christi inuocasset. Cuius corpus inuentum et collectum sepultum est in cymiterio Pontiani; non longe ab Abdon et Sennen confessorum.

viii. Kal. Aprílis.

G. Apud ciuitatem Galilee Nazareth; annuntiatio dominica. Et in Nicomedia; natalis Dule ancille militis que pro castitate occisa est. Et Rome; Cirini, qui interfectus a Claudio, et in Tyberim iactatus

in

in insula Lycaonia inuentus et in cimiterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione sancti Ualenti. Et apud Sirinium; natalis sancti Hyrenei episcopi. Qui tempore Maximiani imperatoris sub preside Probo, primo tormentis acerrimis uexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus; nouissime abseiso capite consummatus est.

bii. Kal. Aprilis.

A. Rome, uia Lauicana, in cimiterio eiusdem; sancti Castuli. Qui cum esset zetarius palacii et hospes sanctorum, ut in gestis beati Sebastiani legitur, a persecutoribus tentus et cruciatus; cum palma martirij migrauit ad dominum. Eodem die, Pentabolim Libie; Theodori episcopi, Hyrenei diaconi, Serapionis et Amonii lectorum. Item apud Syrinium; natalis sancti Montani presbiteri; qui cum Maxima uxore tentus et in fluuium precipitatus est; corpora eorum non longe ab urbe inuenta.

bi. Kal. Aprilis.

B. Apud Egiptum; beati Johannis heremite admirande sanctitatis uiri. Qui etiam prophetico spiritu plenus, Theodosio imperatori Christianissimo uictorias de tyrannis predixit.

b. Kal. Aprilis.

C. Apud Cesaream Palestine; sanctorum martirum Prisci, Malci, et Alexandri. Qui persecutione Ualeriani pro Christi nomine bestiis traditi martirium compleuerunt. Et apud urbem Cabilonensium; depositio Gunteranni regis Francorum religiosi. Qui ita se spiritualibus actionibus mancipauit; ut relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret. Syxti pape; qui sedit Rome annos nouem.

iiii. Kal. Aprilis.

D. Depositio abbatis Eustasii, discipuli sancti Columbani; qui pater ferme sexcentorum extitit monachorum, et uite sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit. Eodem die, apud Affricam; sanctorum confessorum Armogastis, Artinimi, et Saciri. Qui apud Affricam tempore Wandalice persecutionis, sub Iesserico rege Arriano, pro confessione ueritatis, multa et grauia perpessi supplicia, cursum gloriosi certaminis impleuerunt.

Tercio Kalendas Aprilis.

E. Rome; sancti Quirini, tribuni martiris; sub Traiano imperatore. Qui auditis exhortationibus beati Herme de fide Christi, et uisis signis que Dominus in martiribus suis Alexandro et Herme operabatur, necnon et filiam suam Balbinam, eorum orationibus sanatam, mox baptizatus est cum omni domo sua. Quo audito Aurelianus iudex, post abscisionem lingue, manuum, pedumque, iussit eum decollari, et canibus proici. Set Christiani corpus eius raptum in uia Appia sepelierunt, in cimiterio Pretextati.

ii. Kal. Aprilis.

F. Rome; sancte Balbine uirginis, filie Quirini martiris. Qui beatus martir, tollens boiam de collo Alexandri pape, secundum iussionem eius, cum pergeret ut collo filie sue strumam imponeret, ecce subito puer cum facula apparuit, quem constat angelum Domini fuisse; et uenit ad puellam dicens; Salua esto; et in uirginitate tua permane, et ego te faciam uidere sponsum tuum, qui pro amore tuo sanguinem suum fudit. Perueniens igitur pater, ut perficeret quod de boia ei iussum fuerat, uidet subito filiam sanam. Que post modum a sancto Alexandro baptizata, et instructa in

uirginitate, plena operibus bonis permansit; post deuictum uero seculi huius cursum, sepelitur iuxta patrem suum Quirinum, uia Appia, in cimiterio Pretextati.

Aprilis habet dies xxx. Luna xxviii.

Kal. Aprilis.

G. Rome; beatissime Theodosie sororis illustrissimi martiris Heremetis, quam beatus Alexander papa et martyr instruxit, baptizauit, atque in fide Christi edocuit; qui sub Aureliano imperatore martirium suscepit. Sepulta est iuxta fratrem martyrem, uia Salaria, non longe ab urbe Rome. Eodem die; sancti Uenantii episcopi et martiris. Et in pago Uiuernoense; sancti Ualerici confessoris cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

iiii. Non. Aprilis.

A. Natalis sancti Nicetij Lugdunensis episcopi; cuius uita miraculis claruit, et preciosa mors nichilhominis commendatur. Et apud Cesaream Capadocie; sancte Theodosie uirginis. Qui tempore Diocliciani cum esset annorum decem et octo, pro Christi nomine diuersis afflicta suppliciis, ultimo capitis abscisione martyrium compleuit.

iii. Non. Aprilis.

B. Thessalonice; natalis sanctarum uirginum; Agapes et Chionie, sub Diocliciano. Que primo in carcere macerate, post in ignem misse sunt; sed intacte a flammis, post orationem ad Dominum fusam, animas reddiderunt. Apud Cychiam, ciuitatem Chomis; natalis sanctorum Euagri et Benigni. Apud Thauromenium, ciuitatem Sicilie; sancti Pancracij. *In Anglia Sancti Ricardi episcopi et confessoris.*

ii. Non. Aprílis.

C. Mediolanis; depositio beati Ambrosii episcopi et confessoris. Cuius studio, inter cetera doctrine et miraculorum insignia, tempore Arriane perfidie, tota Italia ad catholicam fidem conuersa est.

Non. Aprílis.

D. Thesalonice; sancte Herenes uirginis. Que post tollerantiam carceris, sagitta percussa est a Sissinio comite, sub quo et sorores eius simul, Agapes et Chionia, martyrizate fuerunt. Item apud Egiptum; natalis sanctorum martirum Nicanoris, Appollonij. Apud Cesaream Licie; sancti Amphiliani.

viii. Vbus Aprílis.

E. Syxti pape et martiris; qui rexit ecclesiam annos decem, menses duos, diem unum. Passus est autem temporibus Adriani imperatoris.

vii. Vd. Aprílis.

F. Esippi pape uiri sanctissimi, qui uicesimus apostolorum tempore, omnes, a passione domini, usque ad suam etatem, ecclesiasticorum actuum terens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit; et hic constituit, ut intra actionem missarum, sanctus, sanctus, sanctus, decanteretur. Item Celestini pape, qui rexit ecclesiam annos octo. Hic constituit, ut psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium antiphonatim canerentur.

vi. Vd. Aprílis.

G. Turonis; Perpetui episcopi, admirande sanctitatis uiri, cuius ope templum super reuerenda ossa beati Martini episcopi perfectum

 est:

est: eiusque sacrum corpus, de loco ubi primum tumulatum fuerat, ad locum ubi nunc condigne ueneratur, translatum est.

Quinto Idus Aprilis.

A. Apud Syrinium; natalis septem uirginum que in unum meruerunt coronari, quinto idus Aprilis. Apud Antiochiam; beati Prochorii diaconi, qui unus fuit de septem primis. Item transitus sancte Marie Egiptiace.

iiii. Id. Aprilis.

B. Ezechielis prophete. Apud Romam; beatorum martirum plurimorum; quos beatus Alexander papa et martir baptizauit, cum teneretur in carcere: et ipsi sunt religati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus imperator uetusta naui impositos in altum mare deduci, et illic ligata colla lapidibus mergi in profundo maris fecit.

iii. Id. Aprilis.

C. Apud Cretam urbem Cortine; beati Philippi episcopi, qui uita et doctrina claruit, temporibus Antonini Ueri et Lucij Aurelij Commodij imperatorum.

ii. Id. Aprilis.

D. Rome, uia Aurelia miliario tercio; natalis sancti Iulii episcopi et confessoris. Qui sub Constantio Ariano filio Constantini decem mensibus tribulationes et exilia perpessus, post eius mortem cum magna gloria ad suam sedem reuersus est.

Idus Aprilis.

E. Apud Pergamum Asye urbem; sanctorum Carpi episcopi, et Papirij diaconi, et Agathonice optime femine, aliarumque multa-

rum

rum, que probatis confessionibus martyrio coronati sunt. Ipso die; sancti Iulij episcopi et confessoris. Apud Hispaniam; natalis Hermigildi, quem pater eius Leouigildus, Arrianus, rex Gothorum, ob fidei Catholice confessionem inexpugnabilem in carcerem et uincula coniecit. Vbi nocte sancta dominice resurrectionis iussu perfidi patris securi in capite percussus, regnum celeste pro terreno, rex et martyr intrauit.

xviii. Kal. Maij.

F. Rome; uia Apia in ciuiterio Pretextati; natalis sanctorum martyrum, Tyburtii, Ualeriani, et Maximi; sub Almachio prefecto. Quorum primi fustibus cesi, et gladio sunt percussi. Vltimus tamdiu plumbatis est uerberatus, donec spiritum redderet. Interamne; sancti Proculii martiris. Item, sancte Domne uirginis, cum sociis uirginibus coronate. Apud Alexandriam; beati Frontimis abbatis, cuius uita sanctitate et miraculis extitit gloriosa.

xvii. Kal. Maij.

G. In ciuitate Cordula; sancti Olimpiadis et Maximi nobilium. Qui iubente Decio fustibus cesi, deinde plumbatis; ad ultimum capita eorum securibus tonsa sunt, donec emitterent spiritum. Et Hispanniis, ciuitate Cesar Augusta; natalis sanctorum octodecim martyrum. Optati, Lupercij, Successi, Marciellia, Urbani, Julie, Quincilliani, Publii, Frontonis, Felicis, Ceciliani, et Uoti, Primitiui, Apodemi, et reliquorum quatuor. Qui omnes Saturnini necati ense referuntur. Apud Italiam; sanctorum martyrum Mamuis, Entichis, et Uictorini.

xvi. Kal. Maij.

A. Apud Corinthum; Calixti et Carici, cum aliis septem, omnium, in mare mersorum. Sancti Nicecij episcopi, qui sedit in episcopatu

annos

annos undecim, et temporibus Seueri et Marci martirio coronatus; sepultus in cimiterio Kalixti. Hic constituit, ut clerus comam non nutriret; secundum apostoli preceptum. In Colonia; translatio sancti Albini martyris.

xv. Kal. Maij.

B. Apud Affricam; natalis sancti Mampalici, qui cum aliis pluribus martirio coronatus est. Apud Antiochiam; natalis sanctorum Petri diaconi, et Hermogenis. Apud Uiennam; sancti Patagati episcopi.

xiiii. Kal. Maij.

C. Apud Messanam Apulie ciuitatem; natalis sanctorum martirum Eleutherij episcopi, et Ancie matris eius. Qui beatus episcopus, cum esset et sanctimonia uite, et miraculorum uirtute illustris, sub Adriano principe, in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam et sartaginem, oleo, pice, ac resina feruentem superans, leonibus quoque proiectus, sed ab illis illesus; nouissime una cum matre gladio iugulatur. Item eodem die, Rome; sancti Apollonij senatoris pro Christo capite cesi.

xiii. Kal. Maij.

D. In Armenia ciuitate Militana; natalis sanctorum Hermogenis, Gagii, Expediti, Aristonici, Rufi, Galathe, una die coranatorum. Caucoliberi Hispanie; natalis sancti Uincentii martiris. Apud Corinthum; beati Timonis, de illis septem diaconibus primis. Cantuarie; passio sancti Elphegii archiepiscopi et martiris.

xii. Kal. Maij.

E. Rome; sancti Uictoris episcopi, qui tercius decimus post beatum Petrum rexit ecclesiam annis decem, et sub Seuero principe martyrio

tyrio coronatur. Item Rome; sanctorum martirum Sulpicii et Seruiliali. Qui persecutione Traiani cum nollent ydolis immolare, a prefecto urbis Aniano capite cesi sunt. Eodem die, in Gallis, ciuitate Ebredunense; sancti Marcellini, primi eiusdem urbis episcopi et confessoris.

xi. Kal. Maij.

F. Rome; sancti Sotheris pape, qui sedit in episcopatu annis nouem sepultusque est in cimiterio Calixti. Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret in ecclesia, neque incensum poneret. Apud Persidem; natalis Symonis episcopi, Seleutie et Thesifontis, regalium ciuium. Qui persecutione Saporis regis Persarum, iubente eodem tyranno, comprehensus cum aliis centum, e quibus alii episcopi, alii erant presbiteri, alii diuersorum ordinum clerici, longo tempore maceratus; nouissime, cum in Christi testimonio immobilis persisteret, iussus est cum omnibus decollari. Passi sunt cum eo etiam Uastazadis eunuchus nutricius regis, atque Annanias, et Abdela, et Pufitius cum filia sua sacra uirgine. Apud Alexandriam; sanctorum Fortunati, Aratoris presbiteri, Felicis, Siluii, Uitalis, qui in carcere quieuerunt. Et in Britannia; sancti confessoris Maelrubai.

x. Kal. Maij.

G. Rome, in uia Appia, in cimiterio Calixti; sancti Gaii pape. Qui cum ecclesiam undecim annis, mensibus quatuor, diebus duodecim rexisset, martirio coronatus est, sub Dioclitiano principe. Agapiti pontificis; qui sedit Rome mensibus undecim. Apud Persidem; sanctorum martirum plurimorum. Qui, iubente Sapore Persarum rege, annuo die quo passionis Dominice memoria celebratur, per totam Persidis regionem tenti, ac pro Christi nomine iugulati sunt. In quo fidei certamine, passus est Melitus episcopus.

pus, Acepsimas quoque episcopus cum presbitero suo Iacobo, et Marcas et Bicornihilominus episcopi, cum clericis fere ducentis quinquaginta, monachis etiam cum sacratis uirginibus, et Tabua sorore sancti Symeonis episcopi et martiris. Eodem die, in Cordula ciuitate; natalis Parmenii, Helimene, et Crisostoli presbiterorum, et Luce et Muti diaconorum de Babilonia. Qui omnes trucidati sunt. Et Lugdono Gallie; sancti Epipodii martyris. Uienna; sancti Iuliani episcopi et confessoris.

Nono Kalendas Maii.

A. In Perside ciuitate Diospoli; passio sancti Georgii martiris. Cuius gesta passionis, et si inter apocrifas connumeratur scriptas, tamen illustrissimum martyrium eius, inter coronas martyrum, ecclesia Dei uenerabiliter honorauit. Et in Gallis, ciuitate Ualentia; natalis sanctorum Felicis presbiteri, Fortunati et Achillei diaconorum. Qui a beato Hireneo Lugdunensi episcopo et martyre ad predicandum missi, a duce Cornelio multa perpessi, ad extremum gladio consummati sunt. In Fontenella monasterio; sancti Uulfranni episcopi, preclari in miraculis et doctrina uiri. Eodem die; natalis sancti Adelberti martiris.

biii. Kal. Maij.

B. Lugduno, Gallie; sancti Alexandri, qui tercio post passionem beati Epipodii die productus a carcere, et fixus patibulo, beatum spiritum examinatus emisit. Passi sunt cum eo et alii numero triginta quatuor. Eodem die; depositio Melliti episcopi et confessoris in Britannia.

bii. Kal. Maij.

C. Apud Alexandriam; sancti Marci Euangeliste. Hic discipulus et interpres beati Petri apostoli. Rogatus Rome a fratribus, scripsit euangelium,

euangelium. Quo assumpto, perrexit Egiptum, et primus Alexandrie Christum annuntians, constituit ecclesiam, tanta doctrina et uite continentia, ut omnes sectatores Christi, ad exemplum sui cogeret. Meminit huius Marci et Petrus in prima epistola sua, sub nomine Babilonis, figuraliter Romam significans. Salutat uos, inquiens, ecclesia que est in Babilone collecta, et Marcus filius meus. Quique constitutis et confirmatis ecclesiis per Libiam, Marmaricam, Ammoniacham, Pentapolim, Alexandriam atque Egiptum uniuersam. Ad ultimum tentus est a paganis qui remanserant Alexandrie. Qui uidentes eum die sancto pasce missas facientem, miserunt funem in collo eius, et trahebant eum ad loca Bucolie, que erant iuxta mare sub rupibus, ubi erat ecclesia constructa: et defluebant carnes eius in terra, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem primo angelica uisitatione confortatus est, deinde ipso domino sibi apparente, ad celestia regna uocatus est. At mane dum *iterum* traheretur ad loca Bucolie, gratias agens domino et dicens, domine in manus tuas commendo spiritum meum, defunctus est. et a uiris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinauerat autem pro se Alexandrie episcopum Anianum: aliis quoque longe lateque ecclesiis, episcopos, presbiteros, diaconos, ordinauerat. Eodem die, Rome; letania maior ad sanctum Petrum. Apud Uiennam; sancti Clarenti episcopi et confessoris.

vi. Kal. Maii.

D. Rome; natalis sancti Cleti pape, qui secundus post beatum Petrum cum rexisset ecclesiam annis nouem, persecutione Domitiani martirio coronatus est. Ipso die; sancti Marcellini pape. Qui cum ecclesiam nouem annos et menses quatuor rexisset, tem-

 poribus

poribus Diocliciani et Maximiani, ab eodem Deocleciano preside cum Claudio et Cirino et Antonino, capite truncatus est.

b. Kal. Maij.

E. Rome; sancti Anastasij pape, qui sedit annos tres, dies decem. Apud Nichomediam; natalis sancti Antimi martiris, in memoriis piorum fulgentis in regno Christi. Qui persecutione Diocliciani, ob confessionem Christi martirii gloriam capitis obtruncationem suscepit. Quem tanquam bonum pastorem uiam martirij preeuntem, uniuersa pene gregis sue multitudo secuta est.

Quarto Kalendas Maij.

F. Apud Rauennam; natalis sancti Uitalis martiris, patris sanctorum Geruasii et Prothasii. Qui sub persecutione Paulini iudicis martirio coronatus est. Ipso die; Urcissini medici, sub predicto iudice passi; et Ualerie coniugis beati Uitalis. Et Alexandrie; sancte Theodore uirginis et martiris. Item Didimi ob confessionem Christi capite cesi. Eodem die; Afrodisij, Carilippi, Agapii, et Eusebii martirum. Item in Pannonia; sancti Apollonis martiris. *Item in Iberna sancti Roberti.*

iii. Kal. Maij.

G. Apud Paphum: Tichici apostolorum discipuli. In Numidia apud Circensam coloniam; sanctorum Agapii, et Secundini episcoporum. Qui persecutione Ualeriani, post longum exilium apud præfatam urbem martyres effecti sunt gloriosi. Eodem die; sancti Petri martiris apud Melan de ordine Predicatorum.

ij. Kal. Maij.

A. Natalis sanctorum martirum Maximiani et Jacobi; qui Deciana persecutione post grauia tormenta. nouissime cum multis aliis gladiis

diis consummati sunt. Eodem die; apud ciuitatem Sanctonas; natalis sancti Eutropii episcopi et martyris. Et apud Asiam; passio sancti Maximi martiris, cuius gesta habentur. Rome, uia Appia; passio sancti Quirini martiris. Eodem die; sancti confessoris Ronani.

Kalendas Maij.

B. Kal. Maij. Jeremie prophete. Et natalis sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, filij Marie que fuit soror matris domini; unde et fratres domini dicebantur. In Gallis territorio Wariensi, in loco qui uocatus est antiquitus Gentibus sancti Andeoli subdiaconi; quem misit ab oriente sanctus Policarpus, cum beato Benigno et Andochio presbiteris, et Tirso diacono; ad predicandum uerbum Dei in Galliam. Cuius predicatione Cesar Seuerus comperta crudelissime affligi precepit: et sic martirii coronam promeruerunt. Item ciuitate Sedunense; passio Sigismundi regis et martiris. In Germania pago Sualauelda; natalis sancte Ualdburgis uirginis, cuius uita uirtutibus et miraculis extitit gloriosa, et sic in pace ecclesie quieuit.

vi. Non. Maij.

C. Natalis sancti patris nostri Athanasii, Alexandrine urbis episcopi et confessoris. Qui multas Arrianorum perpessus insidias, quadragesimo et sexto anno sacerdocii sui, post multas agones multasque pacientie coronas, quieuit in pace. Eodem die; sanctorum martirum Saturnini et Neapolis.

v. Non. Maii.

D. Ierosolimis; inuentio sancte crucis ab Helena regina sub Constantino principe cuius ipsa extitit mater. Eodem die, Rome, Numentana, miliario septimo; sancti Alexandri pape, cum Euentio et Theodolo presbiteris, sub Traiano principe, judice Aure-

 liano.

liano. Qui Romane ecclesie episcopatum quintus post Petrum annos decem tenuit, menses duos, dies decem. Quique post modum, iubente Traiano principe, ab Aureliano comite utriusque milicie diuersis tormentorum generibus cruciatus, martirium consummauit. Sancti autem duo presbiteri gladio iugulati sunt. Ipso die; sancti Iuuenalis episcopi et confessoris.

iiij. Non. Maij.

E. In Palestina ciuitate Gaza; natalis sancti Siluani eiusdem urbis episcopi. Qui persecutione Diocliciani cum plurimis clericorum suorum martirio coronatus est. Eodem die; beatissimi Iusti memoria Uiennensis episcopi. Item in Metallofanensi; sanctorum martirum quadraginta, qui simul capite cesi sunt. Nicomedie; sancte Antonie, que a Priscilliano preside flammis exusta est. Eodem die, in Noricho Ripensi loco Lauriaco; natalis sancti Floriani martiris. Ipso die; beati Quiriaci episcopi et martiris gloriosi, sub Iuliano imperatore.

iii. Non. Maij.

F. Apud Alexandriam; sancti Entimii diaconi; in carce[re] quiescentis. Thessalonice; sanctorum Hyrenei, et Peregrini, et Hirenes, ignibus combustorum. In Gallis, ciuitate Arelatensi; sancti Hylarii episcopi et confessoris, magni, docti, et preclarissimi uiri. Item Uienne; beati Niceeij episcopi uenerabilis sancti uiri. Autisiodoro; passio sancti Iouiani lectoris.

ij. Non. Maij.

G. Natalis sancti Iohannis apostoli, ante portam Latinam Rome. Qui ab Epheso, iussu Domiciani fratris Titi, secunda persecutione quam ipse post Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus, presente senatu ante Portam Latinam inferuentis olei dolio missus est,

est, agente hoc impio principe, qui Christianorum infestissimus persecutor erat. Set beatus apostolus tam liber a pena inde exiit, quam a corruptione carnis fuerat immunis. Eodem die; beati Euodii Antiochie episcopi, qui primus ab apostolis ibi est ordinatus. Item beati Lucii Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus episcopus a sanctis apostolis.

Nonas Maij.

A. Natalis sancti Iuuenalis martiris, atque illustrissime dei famule Flauie Domitille. Qui sub persecutione Traiani, cum Eufrasina et Theodora collactaneis et conuirginalibus suis, martirio meruit decorari. Eodem die, apud Nichomediam; passio sanctorum martirum, Flauii, Augusti, et Augustini fratrum. Benedicti pontificis, qui sedit Rome menses decem, imperante Constantino. Eodem die; sanctorum confessorum, Ciaroc et Bretani.

biii. Idus Maij.

B. Mediolana; sancti Uictoris martiris. Qui natione Maurus, et a primeua etate Christianus, cum esset in castris imperalibus miles, eciam canicie decoratus, compellente Maximiano ut sacrificaret ydolis, in confessione domini fortissime perseuerans, primo grauiter fustibus cesus: sed Deo protegente doloris expers. Deinde liquenti plumbo perfusus, sed nichil penitus lesus; nouissime gloriosi martirii cursum capitis abscisione compleuit. Erat autem ciues sanctorum martirum Naboris, et Felicis, qui in Affrica decollati, simul cum Ianuario et Marino, Mediolano translati sunt. Eodem die; Dionisii Uiennensis episcopi, preclarissimi in doctrina uiri, sixti urbis episcopi.

bij. Id. Maii.

C. In Perside; sanctorum martirum, trecentorum decem. Eodem die, apud Nazazi oppidum; beati Gregorii episcopi qui theologus dicitur,

dicitur, nobilis Athenis eruditus, collega beati Basilij Cesaree Cappadotie postea episcopi. Constantinopolim; natalis sancti Timothei; quando ab Epheso eius sacra ossa delata sunt. Eodem die; sancti episcopi Sanctani. Eodem die; translatio sancti Nicholai.

vi. Id. Maii.

D. Natalis Iob prophete. Rome, uia Latina in cymiterio eiusdem; natalis sanctorum martirum Gordiani, et Epimachi, atque Ianuarij. Item Rome; Calepodij presbiteri et martiris sub Alexandro imperatore. Ipso die; decollatus est ab Alexandro Palmatius consul. cum uxore et filiis et aliis promiscui sexus de domo sua. quadraginta duo. Cum quibus et Simplicius senator cum uxore et filiis passus est, et familia sua fere promiscui sexus sexaginta octo, et Felix similiter cum uxore sua, Blanda. Item Rome uia Latina, ad centum aulas; sanctorum Quarti et Quinti. In Hybernia; natalis sancti Comgalli abbatis et confessoris. Eodem die; translatio sancti Laurentij Dublinie archiepiscopi.

v. Idus Maij.

E. Rome; uia Salaria miliario uicesimo secundo; natalis sancti Antimi. Eodem die; depositio beati Gengulfi egregii martiris. Vienne; beati Mamerti episcopi. Qui ob iminentem cladem solempnes ante ascensionem Domini letanias instituit.

iiii. Id. Maij.

F. Rome, in cimiterio Pretextati; natale sanctorum Nerei et Achillei fratrum, qui fuerunt euthnuchi Flauie Domitille. Quique cum ea, apud insulam Pontiam, longum pro Christo duxerunt exilium; postmodum uero ob confessionem Christi capite cesi sunt. Item uia Aurelia miliario secundo, sancti Pancrati martyris. Qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocliciano martirium capitis obtruncatione

obtruncatione compleuit. Eodem die; beati Dionisij confessoris, patrui eiusdem beati Pancracij. Eodem tempore passa est uirgo sacratissima Sotheris nomine sub Diocleciano Augusto. Eodem die, apud Cyprum; sancti patris nostri Epiphanii Salamine episcopi.

iii. Id. Maii.

G. Natalis sancte Marie ad martires. Foca namque imperante, beatus Bonefatius papa, in ueteri fano quod Panteon uocabatur, ablatis ydolatrie sordibus, ecclesiam beate semper uirginis Marie et omnium martirum dedicauit. Cuius dedicationis sacratissima dies agitur .iii. idus Maii. Ipso die; sancti Seruatij episcopi et confessoris Tungrensis ecclesie. *Eodem die; sancte Sithe uirginis.*

ii. Idus Maii.

A. Natalis patris nostri sancti Pachumi. Qui cum esset sanctus apostolice gratie insignis, fundatoque Egipti cenobiorum, scripsit monachorum regulas, quas angelo dictante didicerat; simul et de tempore Paschali. Ipso die, in Syria; natalis sancti Uictoris et Corone, sub Antonino imperatore, duce Alexandrie Sebastiano. Qui diuersis tormentorum generibus cruciati, ad extremum martirium compleuerunt.

Idus Maij.

B. Natalis sanctorum confessorum, Torquati, Thesifontis, Secundi, Indaletij, Cecilij, Esitij, Efrassij. Qui Rome a sanctis apostolis episcopi ordinati, et ad predicandum uerbum Dei ad Hispanias adhuc gentili errore implicatis directi sunt. Post predicationem uero peractam, et multos ad fidem Christi conuersos, dari miraculis, in pace quieuerunt. Apud insulam Cium; natalis sancti Ysiodori martyris.

martyris. In cuius basilica extat puteus, in quo et fertur iniectus. De cuius aqua energumini febricitantesque, uel reliqui infirmi sepius potati saluantur. Lamosacum; passio sanctorum Petri et Andree, Pauli et Dionisie.

xbij. Kal. Junij.

C. Apud Isauriam; natalis sanctorum Aquilini, et Uictoriani, quorum gesta habentur. Apud Autisiodorum; passio sancti Peregrini, episcopi primi ciuitatis ipsius. Et in Pagoforo Iuliensi, Uico qui uocatur Calidianus; sancte Maxime uirginis, que multis clara uirtutibus in pace quieuit. In Hybernia insula; natalis sancti Brendani abbatis et confessoris.

xbi. Kal. Iunij.

D. In Tuscia; sancti Torpetis martiris, sub Nerone principe. Hic magnus in officio Cesaris Neronis fuit, et a beato Antonino presbitero baptizatus, et in fide Christi eruditus est. Hunc Nero cum cognouisset esse Christianum, tradidit cuidam propinquo suo satellico, ut impelleret eum sacrificare. Sed spiritu Dei confortatus, beatus uir, fideque fundatus, immobilis maneret, diuersis cruciatibus afflictus, ultimo capitis obtruncatione martyrium compleuit. Decollatus est etiam cum eo quidam consiliarius Neronis, Euellius nomine, eo quod uisa constantia Torpetis Christo crediderat.

xb. Kal. Iunij.

E. Apud Egiptum; sancti Dioscorii lectoris, in quem preses multa et uaria tormenta exercuit, ita ut ungues eius effoderet, et lampadibus eius latera inflammaret. Sed celestis luminis fulgore territi, ceciderunt ministri. Nouissime lamminis ardentibus adustus, martirium consummauit.

xiiii.

xiiii. Kal. Junij.

F. Rome; sancte Potentiane uirginis. Qve fuit illustrissimi generis Pudentis discipuli sancti Pauli apostoli filia. Cuius mater Sabellina, soror uero Proxedis. Quas piissimus pater earum Pudens in omni religione Christi erudiuit, uirginesque Christo reliquit. Que post obitum sancti patris, in omni exercitatione pietatis excreuerunt; et sic perfecte cum uirginitatis corona ad Christum perrexerunt. Ipso die; beatissimi Pudentis, patris supra nominatarum uirginum. Item Rome; sanctorum Collocri et Partheni, eunuchorum uxoris Decii imperatoris. Qui, cum essent, unus prepositus cubili, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio cesi sunt. Corpora uero eorum iuxta uiam Appiam posita. Eodem die; sancti Dunstani, archiepiscopi Anglorum.

xiii. Kal. Junij.

G. Rome, uia Salaria; natalis sancte Basillis, uirginis et martiris Christi. Que, cum esset ex genere regio, et haberet sponsum illustrissimi nomine Popeium, per beatam Eugeniam et sanctos Protum et Iacinctum conuersa ad fidem, accusata est a prefecto sponso suo, quod esset Christiana, et idcirco gladio transuerberata, iubente Gallieno Augusto. In Gallis, ciuitate Nemauso; natalis sancti Baudelii. Qui a paganis deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, et in fide Christi immobilis persisteret, martyrii palmam pretiosa morte percepit. *In Anglia apud Herefordiam beati Aethelberti regis et martiris.*

xii. Kal. Junij.

A. In Mauritania Cesariense; natalis sanctorum Timothei, Polii, et Euthichij diaconi. Qui apud prefatam regionem uerbum Domini

 disseminantes,

disseminantes, pariter coronari meruerunt. Item, apud Cesaream Capadocie; sanctorum Polieucti, Uictorie, Donati.

xi. Kal. Junij.

B. In Affrica; Castii et Emilii, qui per ignem passionis martirium consummauerunt. Scribit Cyprianus in libro de lapsis. Eodem die, apud Corsicam; natalis sancte Iulie que crucis supplicio coronata est. Hybernia; sancti Boetheni abbatis et confessoris.

x. Kal. Junij.

C. Apud Lingones; passio sancti Desiderij episcopi. Qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum uastari cerneret; ad regem eorum pro ea supplicaturus exiuit. A quo statim iugulari iussus est. Qui pro ouibus sibi creditis ceruicem libenter tetendit, et percussus gladio migrauit ad dominum. Passi sunt cum eo et plures alii de numero gregis sui, et apud eandem urbem una conditi cum eo. Et apud Uiennam; sancti Desiderii episcopi, qui passus est in territorio Lugdunensi, in uilla Priscilliaco. Qui martyr modo sepultus in Uiennensi Ecclesia honorifice seruatur. In Colonia prope murum; dedicatio basilice sancti Martini confessoris in monasterio eiusdem.

ix. Kal. Junij.

D. Natalis sancti Manahen, Herodes tetrarche conlactanei; doctoris et prophete, sub gratia noui testamenti. Item beatissime Johanne, uxoris Cuse, procuratoris Herodis; quam commemorant euangeliste. In Portu Romano; natalis sancti Uincencij martyris. In Gallis, ciuitate Namnetis; sanctorum martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum. In Histria; natalis sanctorum Zoili, Seruilij, Siluani, et Dioclis.

biii. Kal. Junij.

E. Rome, uia Numentana, in cymiterio Pretextati; natalis sancti Urbani episcopi et martiris. Hic sedit in episcopatu annos tres, menses decem, dies decem. Cuius doctrina sub persecutione Alexandri martirio coronati sunt. Mediolani; sancti Dionisii episcopi et confessoris. Apud Mesinam ciuitatem Dorostoro; natale sanctorum martirum Pasieratis, Ualentionis, et aliorum duorum simul coronatorum. Rome; Eleutherii pape, qui sedit annos duodecim. Eodem die; translatio sancti Francissi.

bii. Kal. Junij.

F. Apud Athenas; beati Quadrati episcopi, discipuli apostolorum. Item natalis sancti Quadrati martiris. In cuius sollempnitate sancti Augustini sermones habiti inueniuntur. Rome; beatorum martyrum, Sinmitrii presbiteri, et aliorum uiginti duorum. Quos Antonius imperator pro Christo puniri fecit. Tudertuscie; sanctorum Felicissimi, Herachii, Paulini. In territorio Autisiodorensi; passio sancti Prisci martiris, cum ingenti multitudine. In Britannis; sancti Augustini episcopi et confessoris. Qui missus a beato papa Gregorio, primus genti Anglorum Christi euangelium predicauit. Ipso die; Zacharie secundi eiusdem urbis episcopi. Depositio uenerabilis Bede presbiteri, qui nonagenarius obiit, die quo ipse petiit; hoc est, in ascensione dominica, ab incarnatione Domini anno septingentesimo tricesimo primo; ab obitu beati Gregorij pape centesimo uicesimo quarto.

bi. Kal. Junij.

G. Apud Messinam ciuitatem Dorostorensi; natalis sancti Iulii, qui tempore persecutionis, cum esset ueteranus et emerite militie, com-

 prehensus

prehensus ab officialibus, et Maximo presidi oblatus, nolens sacrificare idolis, et nomen Ihesu Christi constantissime confessus, capitali sententia punitus est. Eodem die; sancti Esicii martiris. In Gallis, ciuitate Arausica; sancti Eutropii episcopi, cuius uitam, illustrem uirtutibus ac miraculis, Uerus episcopus luculente sermone describit.

v. Kal. Junij.

A. Natalis sancti Iohannis pape et confessoris. Eodem die, apud Parisium; sancti Germani episcopi et confessoris. Item apud Sardiniam; sanctorum Emilii, Felicis, Priami, Luciani.

iiii. Kal. Junij.

B. Rome, uia Aurelia; sancti Restituti: Uia Tyburtina; septem germanorum. Treueris; beati Maximi episcopi. A quo Athanasius persecutionem Constantij fugiens, honorifice susceptus est. Item passio sancti Coronis martiris, et filii eius, sub Aureliano imperatore, iudice Domiciano. Qui diutius afflicti, pro Christo ad extremum martirium consummauerunt. Eodem die; natalis sanctorum Sisinnii, Martirij atque Alexandrij. Qui in Amneane partibus, persequentibus gentilibus uiris, martirij coronam adepti sunt. Item sancti Alexandri martiris.

iii. Kal. Junij.

C. Rome, uia Appia in cimiterio; natalis sancti Felicis pape. Hic constituit supra memorias martirum missas celebrari. Qui cum annis quinque rexisset ecclesiam, sub Claudio principe martirio coronatus est. Turribus Sardinie; natalis Sanctorum martirum, Gabilii et Trispulii.

ii. Kal. Junij.

D. Rome; sancte Petronille uirginis. Hec fuit filia beatissimi Petri apostoli. Qui post multa miracula sanitatum, cum eam Flacus comes suo uellet coniugio sociare, tridui inducias petens, et cum sancta uirgine Felicula, collactanea sua, continuis ieiuniis et orationibus uacans, tertio die celebratis dominice oblationis misteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulo, emisit spiritum. Eodem die, apud Equileam; sanctorum martirum, Cancii, Canciani, et Canciauille fratrum. Turribus Sardinie; natale sancti Crescentiani.

Kal. Junij.

E. Dedicatio sancti Nichomedis martyris et presbiteri, apud urbem Romam. Cuius martyrium celebratur septimo decimo kalendas Octobris. Apud Cesaream Palestine; natalis sancti Pamphilii presbiteri, uiri admirande fidej et sanctitatis. Qui sub persecutione Maximini martirio coronatus est. Ipso die; sancti Caprasi, abbatis monasterij Lurinensis. Apud Uiennam; sancti Claudussimi episcopi.

iiii. Non. Junij.

F. Rome; Marcellini presbiteri, et Petri exorciste, sub Diocleciano, iudice Sereno. Qui post multa supplicia quibus supradictus iudex eos cruciauerat, ducti in siluam nigram, qui hodie in honore sanctorum Silua Candida appellatur; et in eadem pariter iussi sunt decollari. Et qui eos decollauit; uidit animas eorum splendide ornatas ab angelis ferri ad celos. Et penitentiam agens, sub Julio papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Ipso die, Lugduni; sancte Blandine cum quadraginta octo martyribus, temporibus Maro Aurelii, Neri, et Ammonii, atque Lucij filiorum

filiorum eius. Hii omnes famuli Christi, sub prefatis imperatoribus pariter coronati sunt. Eodem die; natalis sancti Algisi confessoris.

iii. Non. Junij.

G. Apud Aretium ciuitatem Tuscie; sanctorum martirum Pergentini et Laurentini fratrum. Qui persecutione Decii sub iudice Turtio, cum essent pueri, post dira supplicia tolerata, et magna miracula ostensa, gladio cesi sunt, et eandem urbem conditi. Item in Campanie; beati Herasini episcopi et martyris, sub Diocleciano et Maximiano imperatoribus. In Hybernia; natalis sancti Coemgini abbatis et confessoris.

ii. Non. Junii.

A. Apud Illiricum, ciuitatem Scitiam; sancti Quirini episcopi. Qui persecutione Maximini, pro fide Christi, ligato ad manum molari saxo, in flumen precipitatus est. Et circumstantibus diu colloquutus, ne eius terrerentur exemplo, uix precibus ut mergeretur optinuit. Huius reliquie translate sunt Romam, et posite in cathecumbas.

Nonas Iunij.

B. Apud Egiptum; natalis sanctorum martirum Marciani, Nicandri, et Apollonii, quorum gesta habentur. Eodem die; passio sancti Bonifacii martiris, sub Diocleciano et Maximiano, apud Tarsum ciuitatem passi, sed Rome, in uia que Latina nuncupatur, sepulti. Item sancte Aglahe, gloriose femine, multisque uirtutibus clare. Item eodem die; sancti Bonifacii pro Christi nomine gladio perempti. et Brancij episcopi et martiris; et aliorum seruorum Dei.

biii. Idus Iunij.

C. Sancti Philippi diaconi; qui fuit unus de septem. Apud Tarsum Cilicie; martirum uiginti, sub iudice Simplicio temporibus Diocleciani imperatoris, qui per diuersa supplicia glorificauerunt deum in corporibus suis. Rome; sancti Artemii, cum uxore sua Candida, et filia Patilina. Qui sub iudice Sereno martirio coronati sunt.

bii. Id. Iunij.

D. Constantinopolim; natalis sancti Pauli eiusdem urbis episcopi. Qui tempore Arriane perfidie, a Constantino imperatore, apud ciuitaculam quandam Capadotie, Cucussam nomine, ob catholicam fidem pulsus exilio, Arrianorum insidiis, crudeliter strangulatur, ad celestia regna migrauit.

bi. Id. Iunij.

E. In Galliis Suessionis ciuitatem; natalis sancti Medardij episcopi et confessoris. Item eodem die; sancti Carilefi confessoris.

b. Id. Iunij.

E. Natale beati Iohannis apud Nichomediam, sub Diocliciano imperatore. Qui de nobilibus honore et dignitate dei illustris, uidens aduersus cultores dei in foro crudelia edicta pendere, calore nimio fidei ignitus, publice populo inspectante, iniecta manu librum unice legis detrahit, ac minuatim discerpsit; Augusto Diocleciano in eadem urbe simul cum Maximiano Cesare constituto. Ad quos cum relatum esset religiosi et illustris uiri factum, continuo in eum omni crudelitatis genere deseuientes, nec hoc quidem solum efficere quiuerunt, ut eum modestum aliquis uideret in penis; sed leto atque hilari uultu, cum iam uiscera in suppliciis defecissent, spiritus tam letabatur in uultu, ex quo tortores sui grauius cruciabantur. Qui cum omnium suppliciorum genera consummassent in eum, nec tristem quidem illum ex his reddere potuerunt.

bi. Id. Septembris.

F. Natiuitas sancte Dei genetricis Marie. Eodem die, apud Nichomediam; natalis sancti Adriani martiris, cum aliis uiginti tribus, qui sub Maximiano rege, *cum* supradictis uiginti tribus, diuersis excruciatus suppliciis, martirium consummauit. Natalia uero uxor beatissimi supradicti martiris Adriani, de Nichomedia, sanctorum martirum amore, Bizantium enauigans, post paucos dies aduentus sui, dormitionem accepit a domino, et iuxta sanctorum corpora sepulta est; kal. Decembris. Passio horum martirum, sexto idus Septembris.

b. Id. Septembris.

G. Sergii pape, qui sedit annos tresdecim Rome. Hic inuenit mire magnitudinis portionem ligni salutaris dominice crucis in sacrario beati Petri. Apud Nichomediam; passio beatorum martirum, Dorothei, et Gorgonii, sub Diocletiano imperatore. Horum prior Derotheus magister in officiis, que intra palatium exhibebantur, erat cubili regii prepositus, habens secum, officio, fide, et magnanimitate parem Gorgonium. Quorum institutionibus optimis, omnes pene cubiculi ministri in fide dei uigilanter et libere persistebant. Hi denique cum uiderent quendam martirem crudelibus atque immanibus supplicibus cruciati, constanter et libere aiunt. Cur imperator punis in hoc solo sententia, quod in nobis omnibus uiget? Ut quid in illo crimen ducitur, quod a nobis omnibus confitetur? Hec nobis fides; hic cultus unanimis eodemque sententia. Quos ille cum in medium uenire iussisset, iussit eos appendi, et flagris toto corpore laniari, et uisceribus iam pelle nudatis, aceto et sale perfundi. Cumque hoc tormenti genus constanter ac fortiter tollerassent, craticula prunis subter strata poni iubentur in medio, ibique quod reliquum fuerat in uerberibus assumpti corporis superponi, et non ad subitum, sed sensim paulatimque succendi. Ad ultimum laqueo appensos, precepit necari. Interiecto tempore beatus Gorgonius Romam transfertur, positusque est uenerabiliter uia Latina inter duos lauros. Post multum uero temporis, sanctissimum corpus eius hinc rursus translatum est ad Gallias, positumque iacet in loco qui dicitur Gorzia, sexto miliario ab urbe Metensi. In Sabinis, miliario tricesimo ab urbe; natalis sanctorum, Iacineti, Alexandri, Tyburcii. Eodem die; natalis sancti Bertelini, confessoris.

iiii. Id. Septembris.

A. Apud Affricam; sanctorum episcoporum, Nemesiani, Felicis, Lucii. Item, Felicis, Lutei, Poliani, Uictoris, Iaderis, et Datiui. Qui sub Decio et Ualeriano exurgente persecutionis rabie, ad primam confessionis Christi constantiam grauiter fustibus cesi, deinde compedibus uincti, et ad fodienda metalla deputati, gloriose confessionis agonem consummauerunt. Eodem die, in Calcidonia; sanctorum confessorum Sostenis et Uictoris.

iii. Id. Septembris.

B. Rome, uia Salaria, uetere in cymiterio Bassille; natalis sanctorum, Prothi et Iacincti, qui erant eunuchi beate Eugenie uirginis. Cum qua ab Heleno episcopo baptizati sunt, aliquando tempore diuinis solum eruditionibus uacantes, in sancto proposito perstiterunt. Non multo post, ob confessionem Christi, sub Gallieno imperatore, decollati sunt.

ii. Id. Septembris.

C. Apud urbem Tycinum, que et Appia dicitur; sanctorum confessorum, Syri et Yuencij. Qui a beato Hermagore Aquilemse pontifice, discipulo sancti Marci euangeliste, ad prefatam urbem directi, primi illic Christi euangelium predicantes, et magnis uirtutibus ac miraculis coruscantes, etiam uicinas urbes Ueronensem scilicet, et Brixenam, et Laudunensem, diuinis operibus illustrauerunt. Sicque in pontificali honore, fundata et confirmata fide credentium populorum, glorioso fine quieuerunt in pace.

Idus Septembris.

D. Apud Egiptum, ciuitate Alexandrie; beati Philippi, episcopi. Qui prefectus primum fuit, deinde baptismi gratia sanctificatus, episcopi dignitatem, suffragium ferentibus Christianis populis, assequitur. Ad ultimum pro fide Christi, sub Uolusiano et Gallieno imperatoribus, martirio coronatur. Eodem die; sancti Amanti presbiteri, et abbatis monasterii sancti Romarici. Qui mire abstinentie et anchoritice uite sectator, uirtutum et miraculorum gratia illustrem conuersationem duxit.

xviii. Kal. Octobris.

E. Rome, uia Appia, in cymiterio Calixti; natalis sancti Cornelii pape, sub persecutione Decii. Qui cum presbiteris et diaconibus centum cellis exillio deportatus fuit. Ad quem confortandum multi Christianorum ueniebant. Quo tempore *beatus* Cyprianus scripsit ei de Celarino lectore, quanta pro fide et confessione Christi sustinuerit. Decius Cesar audito quod multa scripta reciperet de beato Cypriano, rogauit eum sibi exhiberi. Exhibitus autem Decio interroganti, cur Cypriani contra rem publicam literas accepisset, respondit. Ego de corona domini litteras accepi: non contra rem publicam. Iratus Decius iussit eum crudeliter affligi, et si sacrificare nollet, capite puniri. Sed postquam contempsit, ductus est foras muros porte Appie: et illic decollatus est cum uiginti uno militibus. Passus est eciam cum eis Cerialis, miles, cum uxore sua Salustia. Item eodem die, apud Affricam; beati Cypriani, episcopi, sub Ualeriano et Gallieno imperatoribus, Galerio Maximo proconsule. Qui a gentibus elaborantibus comprehensus, ex precepto Aspasii Paterni proconsulis, in exilium ciuitate Corbita missus est. Postea releuatus ab exilio, propter

 insuperabilem

insuperabilem fidem in Christo, gladio percussus martirium consummauit. Referuntur autem cum eo passi, Crescentianus, Uictor, Rosula, et Genralis. Item eodem die; exaltatio sancte crucis. Nam Sergius papa, in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, que in angulo obscurissimo diutissime iacuerat, et in ea crucem diuersis ac preciosis lapidibus adornatam, domino reuelante repperit. De qua tractis quatuor petallis, quibus gemine incluse erant mire magnitudinis, portionem ligni salutiferi dominice crucis interius positam inspexit. Que ex tempore illo annis singulis, in basilica saluatoris, que appellatur Constantiniana, die exaltationis eius ab omni adoratur atque osculatur populo. Treueris; sancti Materni, episcopi et confessoris.

xbii. Kal. Octobris.

F. Natalis sancti Nichomedis, martiris. Que Flacus comes, cum ad eum perlatum fuisset, quod corpus sancte uirginis Felicule, quam ipse pro Christo punierat, sepellisset, fecit teneri et duci ad sacrificandum. Qui cum diceret, ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti qui regnat in celis, non his excisis qui in templis, quasi in carceribus clausi, custodiuntur, plumbatis diutissime cesus, migrauit ad dominum. In territorio Cabilonensi, castro Trenortio; natalis sancti Ualeriani, sub preside Prisco gladio iugulati. Eodem die; festiuitas sancti Appri, Tullensis ecclesie episcopi, et confessoris.

xbi. Kal. Octobris.

G. Calcidonia; natalis sancte Eufemie, uirginis. Que sub Diocleciano imperatore, proconsule Prisco, diuersis examinata suppliciis, nouissime bestiarum morsu martyrium compleuit. Item Rome; Lucie et Geminiani. Hec beatissima Lucia a filio suo Euprepio accusata, quod esset Christiana, iussit eam Dioclecianus sibi adduci,

duci, cum predicto Geminiano. Quos ille penis grauissime afflictos, tradidit cuidam peruersissimo iudici, qui diu eos cruciatos post laudabilem uictoriam martirij gladio puniri fecit.

xv. Kal. Octobris.

A. In Britannis; Socratis, Stephani. Niuiduni; sanctorum, Ualeriani, Macrini, et Gordiani. Rome, uia Tyburtina; ad sanctum Laurentium; natalis sancti Iustini, presbiteri et confessoris. Item Rome, in cripta harenaria; sanctorum martirum Narcisi et Crescentionis. Tungrensi diocesi, Leogio, uilla publica; natalis sancti Lamberti, episcopi et martiris.

xiiii. Kal. Octobris.

B. Natalis sancti Mothodii, Olimpii, Licie, et postea Tyri episcopi: qui sub Diocleciano, in Calcide Grecie, martirio coronatus est. Vienne; sancti Ferioli, qui persecutionis tempore, cum esset tribunie potestatis, iussu impiissimi presidis tentus, primo crudelissime uerberatus, deinde graui cathenarum onustus pondere, in teterrimum carcerem trusus est. Ad extremum uero, martirii palmam capitis obtruncatione percepit.

xiii. Kal. Octobris.

C. In Neapoli, ciuitate Campanie; natalis sanctorum Ianuarii, Beneuentane ciuitatis episcopi, cum Sotio diacono Messane ciuitatis, et diacono suo Festo, et lectore suo Desiderio. Qui post uincula et carceres, capite cesi sunt, in ciuitate Puticeoalana, sub Diocleciano principe, iudice Dracuntio. Qui ducerentur ad mortem, uiderunt inter alias procul Puciolane ciuitatis diaconem, et duos laicos Euthicem, et interrogauerunt quare iusti iuberentur occidi. Quos iudex ut uidit Christianos, iussit decollari cum illis. Sic

omnes septem pariter sunt decollati. In Palestina; sanctorum martirum, Peli et Nili, episcoporum. Qui persecutione Diocliciani, cum plurimis clericis, pro Christo igni traditi sunt. Apud Nuceriam; sanctorum, Felicis et Constantie, sub Nerone passi sunt. In territorio Lingonice ciuitatis; Sigolis presbiteri.

xii. Kal. Octobris.

D. In Cizico; natalis sancte Fauste, uirginis, et Euilasii. Qui sub Maximiniano imperatore *crudelissime torti* in confessione Christi spiritum emiserunt. Eodem die; uigilia sancti Mathei apostoli.

xi. Kal. Octobris.

E. Mathei apostoli, et euangeliste, qui primus in Iudea euangelium Christi Ebraico sermone conscripsit. Post uero apud Ethiopiam predicans, martirium passus est. Euangelium eius stilo scriptum, ipso reuelante, tempore Zenonis imperatore inuentum est. Idem autem Matheus in euangelio Leui appellatur.

x. Kal. Octobris.

F. In Galliis, ciuitate Seduno, loco Agauno; natalis sanctorum martirum Thebeorum, Mauricii, Exuberii, Candidi, Uictoris, Innocentis, Uitalis, cum sociis suis, sex milibus, sexcentis, sexaginta et sex, qui sub Maximiano passi, pro Christo gloriosissime coronati sunt. Apud Radisponam ciuitatem; passio beati Emmeranini, episcopi et martiris.

ix. Kal. Octobris.

G. Natalis sancti Sosii diaconi, Mesenate ciuitatis, in Campania. Qui cum esset annorum triginta, martirium cum beato Ianuario Beneuentano episcopo decollationem capitis suscepit, tempore Diocleciani

ciani imperatoris. Eodem die; natalis sancte Thecle, uirginis. Apud Seleutiam; Quiescentis. Que de ciuitate Yconio, a beato Paulo apostolo instructa est. Quam mater eius cernens Christianam et nuptum repudiare, mallentem Christo sponso adherere, quam corruptioni carnis subiacere, pergens ad iudicem accusauit eam. Quam sibi cum iussisset iudex adduci, et propositum castitatis eius perdidisset, diuersa tormenta ei proposuit, ut minis territa ab intentione recederet. Sed illa diuina uirtute omnia superans, dimisa a judice reuersa est Seleutiam, ibique exemplo conuersationis uite atque etiam doctrine plurimos erudiens, post multa certamina, ac duplicem coronam uirginitatis et martirii, requieuit in pace.

biii. Kal. Octobris.

A. Conceptio sancti Iohannis baptiste. Et Augustuduno; sancti Andochii presbiteri, Tyrsi diaconi et Felicis. Qui a beato Policarpo episcopo ab oriente directi ad docendam Galliam, sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati. Siquidem flagellis cesi, in ultimo tota die inuersis manibus suspensi, in ignem missi, sed non combusti, tandem uestibus colla feriuntur, atque ita martirium suum gloriosissime compleuerunt. Item sancti Ceolfrithi, abbatis et confessoris.

bii. Kal. Octobris.

B. Natalis beati Cleophe, cui dominus post resurrectionem in uia apparuit. Lugduni; sancti Lupi episcopi ex anachorita. Et in Hibernia; sancti episcopi et confessoris Barri.

bi. Kal. Octobris.

C. Sanctorum martirum, Cypriani episcopi, quondam magi, et Iustini uirginis et Theogniti. Qui, sub Diocliciano imperatore, ob confessionem Christi martirio coronati sunt.

b. Kal. Octobris.

D. Apud Egeam ciuitatem; natalis sanctorum martyrum Cosme et Damiani fratrum, et Antemii, Leoncij et Euprepii. Qui persecutione Diocleciani, sub preside Lysia, post diuersa supplicia que pro Christo perpessi fuerant, gladio uitam finierunt. Metis ciuitate; depositio sancti Petri, episcopi et confessoris.

iiii. Kal. Octobris.

E. In Hispanniis Cordula; natalis sanctorum, Faustini, Ianuarii, et Marcialis. Qui primo eculei pena cruciati, deinde rasis superciliis, et auribus ac naribus precisis, dentibus quoque superioribus euulsis deturpati, ad ultimum ignis passione martyrium consummauerunt.

iii. Kal. Octobris.

F. In monte Gargano; Uenerabilis memoria beati archangeli Michaelis, ubi ipsius consecrata nomine habetur ecclesia.

ii. Kal. Octobris.

G. In Galliis, castro Solodoro, quod est super Arulam fluuium; passio sanctorum martirum, Uictoris, et Ursi, ex gloriosa legione Thebeorum. Eodem die, apud Bethleem Iude; depositio sancti Ieronimi presbiteri. Hic post perfectam placitamque deo conuersationem, post multos labores, quos in descriptione librorum ad edificationem ecclesie desudauerat, tandem nonagesimo octauo etatis sue anno, apud Bethleem oppidum in pace quieuit. Libros suos per quinquaginta et sex annos confecit.

Kal. Octobris.

A. Apud Autisiodorum; natalis sancti Germani, episcopi et confessoris. Qui multis uirtutibus doctrinaque et continentia clarus extitit.

titit. Thomis ciuitate; natalis sancti Prisci, Crescencii et Euagrii. Treueris; sancti Nicecii, episcopi et confessoris. Remis; sancti Remigii, episcopi et confessoris, uiri clarissime uirtutis et sanctitatis. Hic gentem Francorum ydolorum culturis deditam conuertit ad Christum, rege ipsorum sacro fonte baptismatis et sacramentis fidei primus initiato, septuaginta et eo amplius in episcopatu annos expleuit. Hic inter cetera facta, puella a morte corporis suscitauit. Ipsa die; sanctorum confessorum, Uedasti, Bauonis atque Piatonis.

vi. Non. Octobris.

B. Sancti Eusebii pape et confessoris. Qui sedit in episcopatu annos septem, et sepultus est uia Appia, in cymiterio Calixti. Sub huius tempore inuenta est crux domini nostri Ihesu Christi, quinto nonas Mai. Apud Nichomediam; natalis sancti Eleutherii martiris. Qui sub Diocleciano imperatore martirium uictorie sue, ignibus uelut aurum examinatus, compleuit. Natracis, uilla Syricinio; passio sancti Leodegarii Augustuduriensis episcopi. Quem uariis iniuriis et diuersis suppliciis pro ueritate afflictum, Ebroinus, maior domus regie interfecit. *Eodem die, in Anglia; sancti Thome Heford. episcopi et confessoris.*

v. Non. Octobris.

C. Natalis sancti Dionisij, episcopi et martiris. Qui sub Adriano principe, post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera, glorioso martirio coronatus est. Apud Antiochos Saxones; sanctorum martirum, Ewandalorum presbiterorum. Qui cum Wilibrordo episcopo uenientes in Germania, transierunt ad Saxones. Et cum predicare ibi cepissent, comprehensi sunt et occisi. Ad quorum corpora noctu diu multa lux apparens, et

ubi

ubi essent, et cuius essent meriti, declarauit. Eodem die, depositio dompni Madaluei, Uirdunensis episcopi.

iiii. Non. Octobris.

D. Apud Corinthum; beatorum Crispi et Gai. Quorum meminit beatus apostolus Paulus Chorinthis scribens. Apud Egiptum; natalis sanctorum martyrum, Marci, et Marcialii fratrum, et cum eis innumerabiles alii non inferiori gloria, tam uiri quam femine. Sed et pueri et senes, qui pro fide domini nostri Ihesu Christi martirio coronati sunt. Eodem die; natalis sancti Francissi confessoris.

iii. Non. Octobris.

E. Apud Siciliam, natalis sanctorum Placidi et Eutichii, et aliorum triginta. In Galliis, ciuitate Ualentia; sancti Apollinaris episcopi. Cuius uita uirtutibus insignis fuit, et mors nichilominus signis et prodigiis decoratur. Apud Eumeniam; beati Trasee, episcopi et martiris.

ii. Non. Octobris.

F. Natalis sanctorum, Marcelli, Casti, Emilii, Saturnini. In Galliis, ciuitate Agimno; natalis sancte Fidis, uirginis et martiris. Cuius exemplo beatus Caprasius ad agonem martirii animatus est. Eodem die; beati Sagaris, episcopi et martiris.

Non. Octobris.

G. Rome; uia Appia, natalis sancti Marci, episcopi et confessoris. Qui sedit in episcopatu annos duos, menses nouem, dies uiginti. Eodem die; sanctorum martirum, Iulie, Sergii, et Bachi, sub Maximiano imperatore, iudice Antiocho, ob confessionem Christi, martirio coronatorum. Eodem die; natalis sanctorum martirum, Marcelli et Apulei.

biii. Idus Octobris.

A. Apud Cretam, urbem Cortine; beati Philippi episcopi, magnis uirtutibus et optimis studiis predicti uiri. Et Thessalonice; sancti Demetrii martiris. Pelagie Palestina ciuitate; sancte Reparate.

bii. Id. Octobris.

B. Abrahe, patriarche. Apud Parisium; sanctorum martirum, Dionisii episcopi, Eleutherii presbiteri, et Rustici diaconi. Qui beatus episcopus a pontifice Romano Clemente in Gallias directus, ut predicationis operam populis a fide Christi alienis exhiberet, tandem Parisiorum ciuitatem deuenit, et aliquot annos sanctum opus feliciter et ardenter exsecutus, a prefecto Fescennio Sisinnio comprehensus, et cum eo sanctus presbiter Eleutherius, et Rusticus diaconus, gladio animaduersi martirium compleuerunt.

bi. Id. Octobris.

C. Loth, prophete. Apud Cretam, beati Piniti, inter episcopos nobilissimi confessoris. Qui in scripturis suis, uelut in quodam speculo, uiuentem sui dereliquit ymaginem. Et apud Agripinensem urbem; sanctorum martirum, Mallosi et Uictoris. In Britannia; beati Paulini, episcopi et confessoris. Apud Coloniam Agrippinam; natalis sanctorum martirum, Gereonis, cum aliis trecentis decem et octo. In Troia; Uictoris, cum trecentis triginta. In Uerona; Cassii, et Florentii, cum aliis septem. Quos ferunt Theobeos fuisse, et cum legione illa beati Mauricii, iussu Maximiani imperatoris, in Galliis transitum fecisse, atque circa Reni litora consedisse, et funestum tyranni impium respuendo, pro uera pietate colla pacienter gladiis subdidisse.

b. Kd. Octobris.

D. Apud Tharsum, metropolim Cilicie; natalis beatissimorum martirum, Tharasi presbiteri, et Andronici. Qui persecutione Diocletiani, sub Maximiano preside, longo tempore carceris squalore afflicti, in confessione Christi triumphum glorie adepti sunt. In Hibernia; natalis sancti Channiche, abbatis et confessoris. Item, ipsa die; depositio sancti Brunonis, Agripinensis archiepiscopi. Cuius uita gloriosa et illustris fuit. Ipso die; beati Nicasii episcopi, et sociorum eius. Eodem die; translatio sancti Augustini.

iiii. Kd. Octobris.

E. Apud Rauennam, uia Laurentina; natalis sancti Hedistii. Rome; natalis sanctorum, Celesti, Saturi. In prouincia Syrie; natalis sanctorum, Sirie et Euagri. In Egipto; sancti Eustasi presbiteri.

iii. Kd. Octobris.

F. Commemoratio sanctorum confessorum et martyrum, quatuor milium nongentorum septuaginta sex. Qui persecutione Wandalica apud Affricam, cum essent ecclesiarum clerici, episcopi, presbiteri, diaconi, associatis sibi turbis fidelium populorum, iussu Hunerici regis Arriani, pro defensione catholice ueritatis, in horribile hereme exilium trusi, et inter Mauros ferocissimos deputati sunt. Inter quos erant Cyprianus et Felix, precipui sacerdotes domini. In Hispanniis, ciuitate Gordoba; Fausti et Marcie. In Colonia; inuentio corporis sancti Maurini martiris. *Eodem die; translacio sancti Eduuardi regis et confessoris, apud Westmonasterium.*

ii. Kd. Octobris.

G. Turonis; depositio sancti Uenanti, abbatis et confessoris. Rome; passio sancti Calixti pape. Qui persecutione Alexandri imperatoris,

toris, diutius fame cruciatus, et cotidie fustibus cesus, a presbitero suo Calepodio, qui ante martirium consummauerat, confortatus et consolatus est. Qui in carcere eodem die positus, quemdem militem nomine Priuatum, ab ulcere, dolore, ac feditate, simul et ab infidelitate curauit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere, beatum uero Calixtum, per fenestram domus precipitari, et ligato ad collum saxo in putium demergi, et eum rudere cumulari. Post uero dies decem et septem, presbiter eius Asterius, cum clericis noctu ueniens, leuauit corpus, et sepeliuit in cymiterio Calepodii. Eodem die; sancti Celestis episcopi et confessoris, discipuli beati Petri apostoli. Qui cum sancto Clemente et Felice ad urbem Metim ueniens, post primum in eadem urbe episcopus constituitur, celestem uitam duxit, et ad Christum feliciter migrauit. Ipsa die; transitus sancti Iusti in heremo. Cordoba ciuitate, natalis sanctorum, Lupi et Aurelie.

Idus Octobris.

A. In Galliis apud Coloniam Agrippinam, sanctorum Maurorum de militibus, qui ex illa legione sacra Thebeorum cum numero trescentis sexaginta, apud eandem urbem martirium consummantes, conditi sunt in basilica, que ex mirabili opere ex musiuo quodammodo deaurata resplendet. Vnde etiam incole sanctos eos aureos uocitare consuerunt. *Rome; sancte Fortunate.* Remis ciuitate; depositio sancti Basoli confessoris.

xbii. Kal. Nobembris.

B. In Affrica; passio sanctorum martirum, Ceicre, et aliorum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. In castro Sollercii; sancti Eliphii martiris. Alibi; Saturnini, Nerei, et depositio sancti Galli confessoris.

xbí. Kal. Nobembrís.

C. In Galliis, ciuitate Arausica; sancti Florencii episcopi, qui multis clarus uirtutibus in pace quiciuit. In Nicomedia; natalis sancti Alexandri, Uictoris, et passio Siluani. In Mauritania; sanctorum, Nini, Luci, Sacrati, Ueneri, Prime, Donate, Uictoric, Basille.

xb. Kal. Nobembrís.

D. Natalis sancte Luce euangeliste. Qui fuit natione Syrus, Antiocensis, arte medicus, discipulus apostolorum; postea Paulum secutus, usque ad confessionem eius seruiens domino sine crimine. Nam neque uxorem unquam habens neque liberos, septuaginta et trium annorum obiit in Bithinia, plenus Spiritu Sancto. Sepultus est autem nunc Constantinopolim. Ad quem urbem, uicesimo anno ossa eius, cum reliquiis Andree apostoli, translata sunt. Eodem die, Rome; sancte Trophime, uxoris Decii Cesaris. Que, uiro suo, post interfectionem Sixti et Laurentii, diuinitus punito, peciit se baptizari, cum filia Decii Cirilla, a Iustino presbitero, et alia die defuncta est, ac iuxta sanctum Ypolitum in cripta sepulta. In Affrica; Uictorici, Faustini.

xíiíi. Kal. Nobembrís.

E. Apud Antiochiam Sirie; natalis sanctorum, Beronici, Pelage, et aliorum quadraginta nouem. In ciuitate Puteoli; natalis sanctorum Proculi, et Nicee matris eius. In Hibernia; sancti Auxilii, episcopi et confessoris. Eodem die; Oxonie; sancte Fretheswide uirginis.

xíii. Kal. Nobembrís.

F. In Galliis, Aginno ciuitate; natalis sancti Caprasii, martiris. Rome; natalis sancti Asterii presbiteri. In Puteolis ciuitate; Zozimi, Ianuarij, Dorothe.

xii.

xii. Kal. Nobembris.

G. Apud Nichomediam; natalis sanctorum martirum, Dasii, Zotici, Gaii, cum duodecim milibus. Eodem die; sancti patris nostri Hylarionis, cuius uitam Ieronimus uirtutibus plenam scribit. Item eodem die; natalis sancti Asterii presbiteri Calixti. Lugdunis Gallie; transitus sancti Uiatoris. In Colonia; undecim milia uirginum.

xi. Kal. Nobembris.

A. Apud Adrianopolim Tracie; natalis sanctorum, Philippi, Eusebii, et Heremetis. In Tracia; sancti Seueri. Et alibi: passio sancti Leogati martiris.

x. Kal. Nobembris.

B. Apud Antiochiam Sirie; natalis sancti Theodoriti presbiteri. Qui secutione Iuliani impii, sub prefecto et auunculo eius Iuliano, cum ab eo Antiohenorum ecclesias spoliatas, et religiosi quoque fuissent eius terrore dispersi, in ecclesiam permansit intrepidus. Atque ab eo teneri iussus, post eculei penam, et multos ac durissimos cruciatus, eciam lampadibus circa latera appositis inflammatus est. Sed cum angelorum aspectu terriri ruissent in faciem, et credentes Christo impium ministerium recusassent, iussit eos Iulianus pelago immergi. Quibus beatus Theodoritus ait, precedite fratres; ego uero superans inimicum, sequar dominum. In Cesarea Capadocie; sancti Sereusi. In Adriapolim; natalis sanctorum, Seuerei et Dorothei. In Colonia; sancti Seuerini, episcopi et confessoris.

ix. Kal. Nobembris.

C. Apud Affricam; commemoratio sanctorum martirum, Marciani, et Satiriani, cum duobus fratribus eorum, et egregie Christi ancille,

Maxime

Maxime uirginis. In Nichomedia; natalis sanctorum Uitalis, Felicis, Rogati, Flauiani.

biii. Kal. Novembris.

D. In Galliis, ciuitate Suessionis; natale sanctorum, Crispini et Crispiniani. Qui persecutione Maximiani, ad trocleas extenti et fustibus cesi, postquam digiti eorum subulis transfixi sunt, et de dorso eorum lora precisa, ad ultimum gladio trucidati, corona martirii coronati sunt. Eodem die, Petragoritas ciuitate; natalis sancti Frontonii. Qui Rome a beato Petro episcopus ordinatus, cum Georgio presbitero, ad predicandum euangelium missus est. Cum sequenti die tertio itineris idem Georgius fuisset mortuus, merens Frontonus reuersus ad apostolum, accepto eius baculo, et super corpus defuncti posito, socium de morte recepit. Sicque ad predictam ciuitatem ueniens, magnam multitudinem gentis illius ad Christum conuertit, et multis miraculis clarus in pace quieuit. Ipso die; sanctorum, Uedasti et Amandi.

bii. Kal. Novembris.

E. In Hispanniis, Alela ciuitate; natalis sanctorum, Uincencii, Sabine, et Cristetes. Rome; sanctorum, Mariandi, Luci. In Sardinia; sancti Florentii.

bi. Kal. Novembris.

F. Vigilia beatorum apostolorum, Symonis et Iude. Eodem die, Rome; natalis sancte Cyrille, martiris, filie Decii Cesaris. Que sub Claudio principe iugulata et necata est gladio, et sepulta est a Iustino presbitero cum matre sua, iuxta sanctum Ypolitum.

b. Kal. Novembris.

G. In Perside; natalis sanctorum apostolorum Symonis Cananei, et Thaddei, qui eciam Iudas Iacobi legitur. E quibus Thadeus apud Mesopotamiam,

Mesopotamiam, Symon uero apud Egiptum, traditur predicasse. Qui eciam Iacobo fratre Domini a Iudeis lapidato, Ierosolimorum episcopus ab apostolis constituitur, persecutione Traiani, multo tempore suppliciis affectus, martirio coronatus est, omnibus qui adherant et ipso iudice mirantibus, ut centum uiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Hoc totum de successione Symonis in loco fratris domini, et de passione eius, ecclesiastica historia magis de alio Symone, quem et filium Cleophe nominauit, narrare uidetur.

iiii. Kal. Nouembris.

A. Ciuitate Tingitana; passio sancti Marcelli centurionis, qui capitis abscisione martirium consummauit, sub Agricolano, agente uices prefectorum pretorio. In Affrica; passio sanctorum marti*rum ducento*rum uiginti. Inichea; natalis sanctorum, Kalendionis, Marcialis, Theophili. Et alibi, passio sancti Feliciani cum sociis suis.

iii. Kal. Nouembris.

B. Apud Affricam; natalis sanctorum martirum, Rogatiani presbiteri, et Felicissimi. Qui, persecutione Decii et Ualeriani, illustri sunt martirio coronati. Scribit beatus Cyprianus, in epistola ad confessores hiis uerbis, ut sequamini, inquit, in omnibus Rogatianum presbiterum, gloriosum senem, uiam uobis, ad gloriam temporis nostri gloriosi uirtute et diuina dignatione facientem. Qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper et sobrio, excipiens ferientis populi impetum, primum hospitium uobis in carcere preparauit, et metator quodammodo uester, nunc quoque uos antecedit.

ii. Kal. Nouembris.

C. In Galliis, oppido Uirmadensi; natalis sancti Quintini, martiris, qui sub Maximiano imperatore martirium passus est, et post annum

num quinquagesimum quintum, inuentum est corpus, reuelante angelo, et sepultum octauo kal. Iulii. In Macedonia; sanctorum, Uitalis, Petri, Crescentii. Eodem die; passio sancti Eusebii, martiris, et uigilia omnium sanctorum. Eodem die; passio sancti Foilani martiris.

Kal. Novembris.

D. Rome; natalis sancti Cesarii martiris. Et ipsa die; festiuitas omnium sanctorum. Hec festiuitas sanctorum generalis est Rome. Petente namque papa Bonefatio, iussit Focas imperator in ueteri fano, quod Panteon uocabatur, ablatis ydolatrie sordibus, ecclesiam sancte Marie et omnium fieri martyrum, ut ubi quondam non deorum sed demoniorum cultus agebatur, ibi deinceps fieret memoria omnium sanctorum. Lingonice, ciuitate castro Diuione; passio sancti Benigni presbiteri. Qui cum Andochio conpresbitero, et Tirso diacono, missus est a sancto Policarpo ab oriente Galliam, tempore Iuliani. Qui, predicatione eius comperta, uinctum et cesum ad se adduci precepit, et rursum audita sermonum eius constantia, neruis durissimis eum cedi fecit, et Terrentio comiti superandum tradidit. A quo post hec ad trocleas extensus et cesus, ac rursum carceri mancipatus, mane idola orando destruxit, et reductus est in carcerem. Qui subulas decem calentes in manibus infixerunt, et cum plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, et canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies. Et attulit ei angelus celestem panem, subulas abstulit, et eum de plumbo ac ferro eripuit. Ad ultimum collum eius uecte ferro tundi, et corpus eius lancea perforari iubetur. Quo facto, columba niuea de carcere, Christianis aspicientibus, ad celos ascendit, et odor suauissimus, quasi paradisi, secutus est. Venit autem beata Leonilla, et conditum aromatibus corpus non longe ab ipso carcere sepeliuit. Eodem die; natalis Cesarii diaconi, et

Iuliani

Iuliani presbiteri. Qui uidelicet Cesarius, tempore Claudii, ueniens ex Affrica ad Terracinam Campanie ciuitatem, dum contra ydolatras proclamaret in publico, tentus est a Firmino pontifice, et in custodiam reclusus, ubi multis diebus maceratus est. Deinde traditus est Leontio, consulari Campanie. Quem ille cum uerbis superare nequiret, iussit uinctum ante carpentum suum ducere ligatis manibus nudum, usque ad templum Appolinis. Quo cum peruenissent, ad orationem eius corruit templum, *et* interfecit pontificem Firminum. Post hoc reclusus in carcerem a Luxurio primo ciuitatis, fuit ibi per annum, et mensem unum. Deinde eductus in foro, a deo dum oraret, celesti est lumine circumdatus, ita ut ipse Leontius crederet, et Cesarium, qui erat nudus, sua clamide indueret, peciitque ut baptizaretur, et corpus et sanguinem domini accepit de manu Iuliani presbiteri. Nec mora, dicta super eum oracione tradidit spiritum, tercio kal. Nouembris. Tunc Luxurius iussit Iulianum et Cesarium mitti in saccum et precipitari in mare. Qui eodem die; reiecti sunt ad litus, et sepulti sunt ab Eusebio seruo dei iuxta urbem Terracinam. Et idem Eusebius postea martirium passus est cum Felice presbitero. Item, eodem die; depositio Seuerini monachi, de Tiburtina ciuitate. Alibi; depositio sancti Eustachi militis, cum uxore et cum duobus filiis. Parisius ciuitate; natalis sancti Marcelli, episcopi et confessoris. In Colonia; sancti Euergisi, episcopi et confessoris. Ipsa die; natalis sancte Marie uirginis. Que cum esset ancilla, et die natalis filii domini sui ieiunaret, nec ullo modo flecti potuisset, ut de idolothitis manducaret, primo diris uerberibus afflicta, dein longa carceris custodia, equilei extensione, ungularum laniatione uexata, martirium consummauit.

iiii. Non. Nobembris.

E. Natalis sancti Uictorini, Pictauionensis episcopi. Qui persecutione Diocletiani martirio coronatus est. Eodem die; sancti Ambrosii, abbatis monasterii Acaunensis. Rome; tempore Adriani imperatoris, passio beati Eustachii, et uxoris eius Theophis, cum filiis Agapito et Theophisto. Hec festiuitas cum in kal. habeatur, tum hic ab ecclesia celebratur. Item, eodem die, Rome; dedicatio basilice sanctorum, Syxti, Ypoliti *et* Laurencii, martyrum. In Affrica; natalis sanctorum, Popliani, Uictoris, Hermetis, Iusti, Uitalis et Papie.

iii. Non. Nobembris.

F. Apud Cesariam Capadotie; natalis sanctorum Germani, Theophili, Cesarii, et Uitalis. Et passio sancte Agricole. Eodem die; natalis sancti Cuthberti episcopi. In Galliis, monasterio Claraualle; depositio beati Malachie, episcopi et confessoris.

ii. Non. Nobembris.

G. In Galliis, ciuitate Redenis; natalis sancti Amancij episcopi, cuius uita sanctitate et miraculis extitit gloriosa. In Affrica; natalis sanctorum Primi, Cesarii, Gregorii, Porphirii. In Nicea; natalis sancti Domnini.

Non. Nobembris.

A. Zacharie prophete, patris Johannis baptiste. In Terracina, Campanie ciuitate; natalis sanctorum, Felicis presbiteri, et Eusebii monachi, temporibus Claudii imperatoris. Qui fidelis Eusebius, cum sepelisset sanctos martires Julianum et Cesarium, et ad sepulcra eorum orans ac ieiunans multos conuerteret, quos Felix presbiter

presbiter baptizabat, tenti sunt ambo a Leontio filio Leontii consularis, ob eam maxime causam, quia Cesarius patrem eius Christianum fecisset. In Cesaria Capadocie; natalis sanctorum, Domnini, Epiphanii, Antonini. In Capua, ciuitate Campanie; natalis sanctorum, Marcie, Secunde, et Quarti.

biii. Idus Nobembris.

B. Zoniza Affrice; natalis sancti Felicis. In huius sollempnitate quendam psalmum beatus Augustinus uidetur exponere ad populum. Vbi inter cetera de eius passione loquitur. Felix martir, uere felix, et nomine et corona, cuius hodie dies est. Noueritis autem, fratres, non eum passum mortem, quam alii martyres passi sunt. Confessus enim, delatus est ad tormenta. Alia die, inuentum est corpus exanime. Clauserant enim illi carcerem corpori, non spiritui. In oriente, ciuitate Theopoli; sanctorum decem martyrum, qui sub Sarracensi passi leguntur in gestis sanctorum quadraginta. In Gallia, ciuitate Redenis; depositio sancti Melani episcopi et confessoris. Et sancti Leonardi, abbatis et confessoris.

bii. Id. Nobembris.

C. Natalis sancti Amaranti martiris. Apud Perusinam, Italie urbem; natalis Hercuali, episcopi et martiris. In Nichea; natalis sanctorum, Polisii, Eustasii, Primi, Rogationi. In Affrica sanctorum Rogati, Donati, Primi, Iulite. Metis ciuitate; depositio sancti Ruphi, episcopi et confessoris. Hasternaco monasterio; depositio sancti Willibrordi, episcopi et confessoris.

bi. Id. Nobembris.

D. Rome; natalis sanctorum quatuor coronatorum, Claudii, Nichostrati, Simphoriani, Castorii, et Simpplicii. Quos prefectus urbis

cum per decem dies minis et blandiciis in nullo penitus potuisset mouere, tercio tormentis atrocibus uexatos, iussit in medio mari precipites dari. Sicque immensis artati ponderibus, ac pelagi fluctibus immersi, in loco mundo inter aquas coronam martirii celebrarunt. In Affrica; sanctorum, Primi, Macharij, Iusti, et aliorum decem et octo.

b. Kd. Nobembris.

E. Rome; sancti Theodori, martiris, et sanctorum, Clementis et Simphoriani, et sancti Damasi. In Hispannia; natalis sanctorum Fausti et Marcialis. Et eodem die; *sancti* Ursicini episcopi, et sanctorum Donati et Damiani. Et in Hibernia; sancte uirginis Sinche.

iiii. Kd. Nobembris.

F. In territorio Agathensi, in Cesarione; natalis sanctorum martirum, Tiberii, Modesti, et Florentie. Qui tempore Diocliciani, uariis tormentis cruciati, martirium compleuerunt. Rome; depositio sancti Leonis episcopi. In Antiochia; Demetrii episcopi, Amanesi diaconi. Item eodem die; natalis sancti Martini pape. Qui ob fidem catholicam ab imperatore Constantino heretico, per Theodorum exarchum, de ecclesia raptus, ac perductus Constantinopolim, ibidem uitam finiuit.

iii. Kd. Nobembris.

G. In Galliis. Turonis ciuitate; natalis sancti Martini episcopi et confessoris. Qui tres mortuos suscitauit, et multas uirtutes fecit. Eodem die, in Scicia, metropoli Prigie Salutarie; passio sancti Menne martiris. Qui persecutione Dioclecioni et Maximiani, cum esset miles nobilis genere, et Egiptiorum prouintia ortus, abrenuntians terrene militie, primo celesti regi secreta conuersatione

tione in heremo militauit. Deinde nataliciis prefatorum imperatorum procedens ad pabulum, ac se Christianum libera coram ipsis uoce declarans, traditus est Pirro duci torquendus. A quo primum diris uerberibus cesus, ita ut platee locus eius sanguine repleretur, deinde eculeo exungulatus, et in lapidibus igneis circum latera adustus, per tribulos et sudes ferreas ligatis manibus ac pedibus tractus, plumbatis quoque collo et maxillis grauiter contusus, nouissime fixis in oracione genibus, et domino Ihesu Christo agens, gladio cesus, et corpus eius igni traditum. Quod furtim a Christianis ereptum et aromatibus conditum, debita ueneratione curatum est. Rome; sanctorum, Ualenti, Feliciani, Uicturini.

ii. Nd. Nobembris.

A. Apud Affricam; commemoratio sanctorum Archadii, Paschasii, Probi, qui ex Hispannia oriundi, cum apud Sigiricum Wandalorum regem, merito sapientie et fidelis obsequii cari clarique haberentur, nec in Arrianam perfidiam, cui ipse deditus erat, ullatenus declinare paterentur, excitato in rapidissimam iram barbaro, primo proscripti, deinde in exilium atque atrocissimis suppliciis excruciati, illustri martirio mirabiliter occubuerunt. In Colonia; sancti Cumberti, episcopi et confessoris. In Cesaria Capadocie; sanctorum, Germani, Theopili, Cesarii, martirum.

Idus Nobembris.

B. Rauenna; natalis sanctorum martirum Ualentini, Solutoris, Uictoris. In Tratia; sanctorum, Edicti, Euthicis, Ermogenis. In Cesaria Capacie; sanctorum, Germani, Theophili, Cesarii, et sancti Eusebii martiris. Eodem die; natalis sancti Bricii, episcopi et confessoris.

xviii. Kal. Decembris.

C. Apud Traciam, ciuitate Eraclea; natalis sanctorum martirum, Clementini, Thodoti, Filumini. Eodem die; natalis sancti Eracli. Eodem die; natalis sancti Laurencii archiepiscopi et confessoris.

xvii. Kal. Decembris.

D. Antiochie; natalis sanctorum Donati, Restituti, Ualeriani, Fructuose, cum aliis duodecim. In Affrica; sanctorum Secundi, Fidentiani, et Marcialis: et dedicatio sancte Marie iuxta murum Metensium: et sancti Benedicti in Colonia.

xvi. Kal. Decembris.

E. Natale sancti Eucherij, episcopi Lugdunensis, admirande fidei, uite et doctrine uiri. Qui ex nobilissimo senatorum *ordine* ad religiosam uitam habitumque conuersus, diu in agro suo super Durentiam, intra septa spelunce sponte conclusus Christo seruiuit, ieuniis et oracionibus uacans. Defuncto autem pontifice Lugdunensi, cum uniuersa ecclesia, iuxta morem a se antiquitus obseruatum, triduanis ieiuniis et obsecrationibus, qui gubernationem eiusdem ecclesie suscipere deberet, sibi posceret a domino reuelari, cuidam puerulo apparens angelus domini, est, inquid, senator quidam, Eucherius nomine, super fluuium Durentiam retrusus in specu, qui rectis omnibus que possidebat, secutus est dominum. Ad hunc ad ducendum pergite, et uobis illum pastorem constituite, quoniam a domino est. Qui cum puer senioribus diluculo retulisset, omnipotenti deo cunctis fratribus conuocatis gratias egerunt. Missoque cum clericis ad prefatum locum archidiacono, qui tunc ecclesie curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis dominus reuelauerat. Cumque illi archidiaconus rem propter quam

uenerat

uenerat indicasset, cepit cum iuramento dicere, si uoluntarium de specu non egressurum, nec cum eo nisi ligatus duceretur iturum. Cumque diu talia repeteret, archidiaconus effracto muro spelunce eduxit eum, et iuxta quod ipse iurauerat, uinctum perduxit Lugdunum. Qvem pari animo, unoque consensu, clerus et sibi eligens sacerdotem pontificali cathedra solempniter collocauit. Huius uxor Galla, in sancto habitu deo seruiens, speluncam eius ingressa, omne illic uite sue tempus in studio religionis exegit. Due ipsorum filie, quarum una Consortia, altera Tullia uocabatur, uirginitatis gloria claruerunt. In Affrica; natalis sanctorum Ruphiani, Marci, Ualerini, Honorati. Et alibi; Fecundiani, Aureliani, Marcelli: et depositio beati Otmari, episcopi et confessoris. Eodem die; sancti Eadmundi, Cantuariensis archiepiscopi.

xb. Kal. Decembris.

F. Apud Pontum; natalis sancti Gregorii, Neocesariensis episcopi et martiris. Qui magna signorum ac miraculorum gloria preditus, inter cetera, quodam tempore in ecclesia facienda locus non sufficiret, montem precibus mouit. Rome, trans Tiberim; natalis sancti Cecili. Aurelianis; depositio sancti Aniani episcopi et confessoris. Eodem die; sancti Dulech confessoris.

xiiii. Kal. Decembris.

G. Antiochiam; natalis sancti Romani. Qui temporibus Diocleciani, cum Aclepiades prefectus ecclesiam irrumpere eamque funditus conaretur euertere, ceteros Christianos ortatus est, ut ei contradicerent. Vnde eum protinus uinctum sibi exhibere iussit, et Christum constantissime confitentem, primum eculeo extendi. Deinde plumbatis grauiter et fustibus cedi. Post hec eciam nouacula accutissima maxillas eius radi fecit. Tunc ad peticionem eius puerum

rum paruulum induci precepit. Quem Romanus, Christi nomen inuocans, utrum unum an plures deos melius esset colere interrogauit, ut ex eius confessione prefectus confunditur. Cumque unum puer deum solum credendum esse dixisset, indignatus Asclepiades, catomis suspendi eum ac uerberari, et postremo eciam decollari precepit. Erat autem puero Barralas. Romanus uero rursus eculeo suspensus, ungulis exaratur, ad rogum ardentem in quem precipitaretur perductus est. Sed orante eo, uenit repente imber in undas extinguit ignem. Post hec, iussit ei linguam abscidi. Quo facto, cum Christum uoce clarissima collaudaret, reclusus in carcerem, et ad extremum laqueo stragulatus est. Rome; Gelasii pape, qui sedit in episcopatu annos quatuor. Hic reuocauit Misenum episcopum, quem Felix antecessor ipsius dampnauerat, et communioni ecclesieque sue restituit. Hic libros aduersum Eutichen et Nestorium composuit.

xiii. Kal. Decembris.

A. Rome, uia Appia; natalis sancti Maximi, presbiteri et martiris. Qui persecutione Maximini passus, positus est ad sanctum Sixtum. Apud Uiennam; sanctorum martirum, Seuerini, Exuperii, et Feliciani. Quorum corpora post multa annorum curricula, ipsis reuelantibus, inuenta et a pontifice urbis clero et populo honorifice sublata, in basilica sancti Romani, que iam dicte ciuitatis parte orientali sita est, condigno honore condita sunt. Eodem die; sancti Fausti martiris. In Cesarea; natalis sanctorum Maximi, Neofori.

xii. Kal. Decembris.

B. Rome; natalis sancti Ponciani pape. Qui Maximino aduersum ecclesiarum sacerdotes persecutionem commouente, cum Ypolito presbitero Sardiniam deportatur, ibique fustibus mactatus, martirium

rium consummauit. In Eraclea; natalis sanctorum Bassi, Dionisi. Eodem die; sancti Eadmundi, regis et martiris.

xi. Kal. Decembris.

C. In Italia, monasterio Euouio; natalis sancti Columbani abbatis, qui multorum cenobiorum fundator extitit monachorum, multisque uirtutibus clarus, quieuit in senectute bona. Item, natalis sanctissimi Ruphi, de quo apostolus ait ad Romanus; salutate Ruphum electum, et matrem eius et meam. In Antiochia; sanctorum, Basilei, Auxilii. Et alibi; sanctorum Demetrii, Quinciani.

x. Kal. Decembris.

D. Rome; passio sancti Cecilie uirginis. Que sponsum suum Ualerianum, et fratrem eius Tyburtium, ad credendum Christo ac martirium perduxit, et ipsa deinde martirizata est, ignem quidem superans, set ferro occisa sub Almachio urbis prefecto. In Capadocia; natalis sanctorum, Longini, Leoncii et Fausti.

ix. Kal. Decembris.

E. Rome; natalis sancti Clementis episcopi et martiris, de quo apostolus Paulus ait. Cum Clemente et ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro uite. Hic quartus post beatum Petrum Rome episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tercius Anacletus, sub persecutione Traiani martirio coronatur: et omnis eius memoria usque hodie Rome extructa ecclesia custoditur. Qui, iubente predicto Traiano, missus est in exilium, trans Pontum maris. Vbi multis ad fidem uocatis, per miracula et doctrinam eius, precipitatus est in mare, ligata ad collum eius anchora. Sed orantibus discipulis eius, recessit mare per tria milia, et inuenerunt corpus eius in archa saxea in templo marmoreo, angelicis

 manibus

manibus preparatum, et anchoram iuxta. Eodem die, Metis ciuitate; depositio sancti Clementis, primi Metentium pontificis. Item, eodem die; natalis sancti Felicitatis martiris, matris septem filiorum martirum. Que, iubente Antonio, decollota est pro Christo.

biii. Kal. Decembris.

F. Rome; natalis sancti Grisogoni martiris. Qui persecutione Diocleciani, post longa uincula et carceres pro constantissima Christi confessione tolleratos, capite cesus et in mare proiectus martirium consummauit. Eodem die; natalis sancti Crescenciani, qui erat cum Cyriaco et Largo et Smaragdo in carcere, sub persecutione Maximi, filii Maximini.

bii. Kal. Decembris.

G. Natalis sancti Petri Alexandri episcopi, inter precipuos egregii. Hic duodecim omnes annos in episcopatu illius urbis exegit. Quorum tres ante persecutionem, reliquos uero octo diuersis temptationum generibus duxit. Ipso die; sancte Katerine uirginis et martiris. In Hibernia; sancti confessoris Finnchua.

bi. Kal. Decembris.

A. Natalis sancti Lini pape. Qui post beatum Petrum primus, Romanam ecclesiam tenuit annis undecim, et martirio coronatus; sepultus est in Uaticano. Huius Lini, Paulus in epistola ad Thimotheum meminit. Apud Alexandriam; natalis sanctorum martirum, Faustini presbiteri, et Ammonii. Rome; sanctorum, Syrici et Saturnini.

b. Kal. Decembris.

B. Avgustuduno; depositio Amatoris episcopi. Apud Italiam; natale sanctorum martirum, Agricole et Uitalis. Quorum corpora,

cum

cum essent deposita inter sepulcra Iudeorum, et populo Christiano prorsus incognita, beatus Ambrosius, ipsis sanctis martiribus reuelantibus, apud Bononiensem ciuitatem repperit. Que extructa ecclesia, cum magna fidelium leticia, et demonum penis confitentium merita martirum, sub altari deposuit. In Galliis, ciuitate Regensi; natalis sancti Maximi episcopi. Eodem die; sancti Secundi, episcopi et confessoris. Qui Longobardorum nobili genere ortus, beatum Patricium ad Hiberniam secutus, post eum primus episcopatum tenuit. Ibique recto morum tramite exempla illius perfecte complens, quieuit in pace.

iiii. Kal. Decembris.

C. Natale sancti Sostenes, discipuli apostolorum. Eodem die; sancti Ruphi martyris, quem dominus Ihesus Christus, cum omni domo sua, per Grisogonum martirem lucratus est. Quem, cum omni domo sua, Diocleciamus punitum Christo martirem fecit. Eodem die; sancti Sile apostoli, qui cum beato Paulo gentibus euangelium predicauit. In Siria; natale sanctorum Trophimi, Theodoli, Eucherii, Iulii, et Eusebii.

iii. Kal. Decembris.

D. Uigilia sancti Andree apostoli. Et Rome; sancti Saturnini martiris, et Sennis et Sisinnij, diaconorum, sub Maximiano. A quo primum inter alios dampnati ad fodiendam arenam, ad faciendas thermas Diocleciamas, deinde in carcerem diu sunt macerati, ubi multos Gentiles docentes baptizabant. Et denuo educti, uicti cathenis ac nudis pedibus, ante prefectum Laodecium, iussi sunt in eculeum leuari, et adtrahi neruis, et festibus ac scorpionibus cedi. Quibus etiam postmodum flammas ad latera iussit apponi, et depositos de eculeo, capite truncari. Eodem die, apud Tolo-

 sam;

sam; natalis sancti Saturnini episcopi. Qui temporibus, Decii in capitolio eiusdem urbis a paganis tentus, eo quod ad eius presentiam omnes ipsorum dii obmutefacti, nullum sacrificantibus ex more possent dare responsum, tauro ad uictimam preparato funibus religatus est. Quo uehementius stimulato, a summa arce capitolii per omnes gradus precipitatus, capite colliso, excussoque cerebro, et omni corpore dilacerato, dignam Christo animam exalauit. Cuius nunc sacrum corpus in ecclesia condigno honore ueneratur. Ipso die, Rome; natalis sanctorum, Crisanti, Mauri, et Darie uirginis.

ii. Kal. Decembris.

E. In ciuitate Patras, prouintie Achaie; natalis sancti Andree apostoli, qui eciam apud Sichiam predicauit. Cuius sacra ossa, uicesimo Constantini anno imperatoris, Constantinopolim translata sunt. Rome; natalis sanctorum, Castuli, Maurilii, Centuli, Theodoli.

Kal. Decembris.

F. Rome; natale sanctorum, Candide, Lucii, et Marine, Amboni, Filati. Eodem die; commemoratio sanctorum martirum, Papii et Mansueti episcoporum. Qui tempore Wandalice persecutionis sub Gesirico rege Arriano, apud Affricam, pro fidei catholice defensione, candentibus ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummauerunt. In Affrica; Uictoris, Rogati. Item, eodem die; in ciuitate Uirdunensis; natalis sancti Agerici episcopi.

iii. Non. Decembris.

G. Rome; natale sanctorum, Primi, Potentiani, Uiuiani. In Mauritania; natalis sanctorum Securini, Uictorini, Fortunati, Agnetis, Secunde.

iii. Non. Decembris.

A. Tingi, metropoli Mauritannie Tingitane; natalis sancti Cassiani, martiris gloriosi. Qui passus est sub Aurelio Agricolano. In Nicomedia; natalis sanctorum Merobi, Claudii, et Felicis. In Affrica; sanctorum, Magne, Iohannis, Stephani, Uictoris, Martini. Item sanctorum martyrum, Claudii, et uxoris eius Hilarie, ac filiorum, Iasonis, et Mauri, et septuaginta militum, qui omnes ad predicationem beati Crisanti crediderunt in Christo.

ii. Non. Decembris.

B. Commemoratio sanctorum confessorum Armogasti, Arthinimi, et Satiri. Qui apud Affricam, tempore Wandalice persecutionis, sub Gesirico rege Arriano, cum essent lucidissima membra Christi, et prauitatem Arrianorum libertate catholica frequenter arguerent, pro confessione ueritatis multa et grauia perpessi supplicia atque obprobria, cursum gloriosi certaminis impleuerunt.

Non. Decembris.

C. In Affrica, apud Coloniam, apud Tebestinam; sancte Crispine. Qui temporibus Diocleciani et Maximiani, cum sacrificare noluisset, iussu Anulini proconsulis decollata est. Eodem die; natalis sancti Dalmacii martiris. Et alibi; Fulgentij et Amancij.

biii. Idus Decembris.

D. Sancti Nicholai, episcopi Mirrorum Licie. In Affrica; natalis sanctorum, Zeloti, Fortunati, Hermogenis, et Rogati.

bii. Id. Decembris.

E. Commemoratio sanctarum Dionisie, Datiue, Leontie, et Emiliani medici. Qui omnes persecutione Wandalica sub Hunirico rege Arriano

Arriano apud Affricam, pro confessione fidei catholice, et ne ab Arrianis rebaptizarentur, grauissimis et innumeris suppliciis excruciati, confessorum Christi numero numerari meruerunt. Eodem die; octaue sancti Andree apostoli. Apud Sanctonas; beati Martini abbatis, discipuli Martini Turonice urbis episcopi, qui in monasterio quod ipse edificauit in pace quieuit.

bi. Id. Decembris.

F. Rome; natalis sancti Euticiani pape. Qui rexit ecclesia anno uno, et sub Aureliano imperatore martirio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti. Qui et ipse per diuersa loca, trescentos quadraginta duos martires manu sua sepeliuit. Item Rome; natalis sancti Eusebii episcopi, Urani, et Successi episcopi.

b. Idus Decembris.

G. Natale sancte Leochadie uirginis. Qui temporibus Diocleciani et Maximiani, a prefecto Hispanniarum Datiano, apud Toletum urbem carceris custodia macerata est. In Affrica; sanctorum, Petri, Successi, Porphirii, Urbani. In Antiochia; sanctorum, Geronti, Polentie, Siluane, Ualentini.

iiii. Idus Decembris.

A. Apud Emeritam, Hispannie ciuitatem; natalis sancte Eulalie uirginis. Que cum esset annorum tresdecim, iussu Daciani presidis, plurima tormenta perpessa, nouissime in eculeo suspensa, et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hasto igne spiritum reddidit. Et cernentibus Christianis in specie columbe niuee celum petiit. Cuius sacrum corpus, per triduum, iussu presidis, pependit in ligno. Sed cui humana fuerant obsequia denegata, celestia fuerunt munera concessa. Nam nix desuper puelle

corpus

corpus asperit, ut quod ex utraque parte oppositus ignis ardoris sui incendio conflagrauerat, niuali candore coopertum diuina gratia dealbaret. Sicque *a* Christianis reuerenter ablata, et deuotione debita sub sacro altari deposita, miraculorum gloria illustratur. Eodem die, apud prefatam urbem; passio sancte Iulie, que fuit conuirginalis beate Eulalie. Item apud Hispanniam ciuitatem; sanctorum martirum, Carpofori presbiteri, et Abundi diaconi. In ciuitate Aruennis; natalis sancte Agricole. Et ipsa die; passio sancti Pauli, cuius passio habetur.

iiii. Id. Decembris.

B. Danielis prophete. Rome; sancti Damasi pape. Et natale sanctorum martirum, Thrasonis, Potentiani, Pretaxati. In Galliis, ciuitate Ambionis; natalis sanctorum martirum, Fusciani, Uictorici, et Gentiani. In Hispanniis; sancte Eutici, cuius gesta habentur.

ii. Id. Decembris.

C. In Alexandria; sanctorum Sammoni et Emeriti. Apud Emeritam; natalis sancte Eulalie ex deposione. Et sanctorum martirum, Ermogenis, Donati, et aliorum uiginti duo. Et in Hibernia; sancti Finniani, *episcopi et confessoris*.

Idus Decembris.

D. Apud Siracusas, Sicilie ciuitatem; natalis sancte Lucie, uirginis et martiris. Que passa est persecutione Diocleciani et Maximiani, sub Pascasio consulari. Quam cum lenones corrumpere, iubente Pascasio, uellent, nullatenus eam mouere potuerunt, nec funibus abditis aut boum paribus plurimis, resinam, feruens oleum illesa suscepit. Tandem gladio in uiscera merso percussa, nec tamen

mortua

mortua est, donec uenientibus sacerdotibus communionem corporis et sanguinis domini accepit. Rauenna; natale sanctorum, Ursiani et Leuchadii confessorum. Mediolano; inuentio sanctorum, Nazarii, Prothasii, et Celsi pueri.

xix. Kal. Ianuarii.

E. Apud Antiochiam; natale sanctorum martirum Eleusi, Zosimi, et Theodori. Apud Cyprum; natale sancti Spindionis episcopi, admirande beatitudinis uiri. Lugdunis; depositio Uiatoris episcopi. Vienna; depositio sancti Lupicini episcopi. Remis; natale sancti Nichasii episcopi, qui capite truncatus est.

xviii. Kal. Ianuarii.

F. Apud Affricam; sancti Aureliani episcopi et confessoris. Qui Wandalice persecutionis, cum, ex precepto Geisirici regis Arriani, ad tradendum ministeria diuina, uel libros, artarentur cuncti domini sacerdotes, ita ut idem impii Arriani etiam de ipsis palliis altaris camisias sibi et femoralia facerent, uiriliter ne sacramenta diuina traderet dimicans, extra ciuitatem singularis expelli iussus est, et ita preceptum, ut nullus eum neque in domo neque in agro dimitteret habitare. Cumque esset annorum *plus* octuaginta, in strata publica multo tempore nudis iacuit sub aere, sicque in confessione catholice ueritatis, et defensone sanctimonii cursum uite impleuit. In Babilonia, tempore Nabugodonosor regis; passio sanctorum martyrum, trium uirorum, Ananie, Azarie, et Misaelis.

xvii. Kal. Ianuarii.

G. Rauenna; natalis sanctorum, Ualentini, Naualis, Agricole, et Concordii. Arelato; dedicatio basilice sancti Genesii, martiris.

xvi. Kal. Ianuarii.

A. In Antiochia; natalis sancti Ignatii, martiris et episcopi. Qui tercius post beatum Petrum apostolum Antiocenam rexit ecclesiam. Quique persecutione Traiani, dampnatus ad bestias, Romam uinctus mittitur, decem militibus, quos ipse in epistola sua leopardos uocat. Quique proiectus bestias, cum rugientes audires leones, ardore paciendi, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Passus est anno undecimo Traiani. Item, beatorum martirum Ruphini et Zozimi. Item eodem die; beati Lazari, quem dominus Ihesus in euangelio resuscitasse legitur a mortuis. Et beate Marthe sororis eius, quorum uenerabilem memoriam extructa ecclesia non longe a Bethania, ubi e uicino domus fuit, conseruat.

xv. Kal. Ianuarii.

B. Laodicie ciuitate; natalis sanctorum Theotini, Basiliani. In Affrica; sanctorum, Quinti, Simplicii, Pauli, Uictorie, Priuati. Eodem die; natalis sanctorum, Digni, et Bodegisili, Honorati, cum aliis triginta. In Hibernia; *sancti* Maigneni confessoris.

xiiii. Kal. Ianuarii.

C. Apud Affricam; natale sancti Moysitis martiris. In Nicea, ciuitate Bithinie; natalis sancti Zosimi, Pauli, Secundi, Ciriaci. Antisiodoro; depositio beati Gregorii episcopi et confessoris.

xiii. Kal. Ianuarii.

D. Rome; deposicio sancti Zephirini episcopi. In Tracia, Gildaba; natale sancti Iuliani. Et alibi; sancti Liberati. In oriente; sancte Tecle uirginis.

xii. Kal. Ianuarii.

E. Natale beati Thome apostoli. Qui Parthis et Medis euangelium predicans, passus est in India. Corpus eius in ciuitate quam Syri Edissam uocant translatum, ibique digno honore conditum est. In Tuscia; natale sanctorum, Iohannis et Festi. Rome; depositio sancti Innocenti, episcopi. In Eraclea; natalis sancti Passi. Et alibi; passio sanctorum, Foce, Florii, Honorati episcopi et confessoris.

xi. Kal. Ianuarii.

F. Rome, uia Lauicana, inter duos lauros; natale triginta martirum, qui omnes die una coronati sunt. In ciuitate Spolitana; passio sancti Gregorii martiris. In portu Romano; sancti Aristoni, et depositio sancti Felicis episcopi. Et alibi; passio sancte Theodosie et Dimidii. Cenomannis; dedicatio basilice sancti Geruasi.

x. Kal. Ianuarii.

G. Rome; natalis sancte Uictorie, uirginis et martiris. Que persecutione Decii, cum esset desponsata uiro pagano Eugenio, et nec nubere uellet, nec sacrificare, post multa facta miracula, inter quos plurimas uirgines aggregauerat domino, percussa est gladio in costa a carnifice Taliario, comite templorum, rogatu sui sponsi. Deposita est autem decimo kalendarum earundem. Eodem die; natalis sancti Iohannis presbiteri, positi ad sanctum Hermen. Apud Nicomediam; sanctorum martirum uiginti quinque. Item Rome; natale sanctorum, Eugenii, Eleutherii, Urbani, Cornelii, Traiani, Uictoris, Castule, et aliorum octogintorum triginta.

ix. Kal. Ianuarii.

A. Uigilia natalis domini. Eodem die, apud Antiochiam Syrie; natalis sanctarum uirginum quadraginta canonicarum, et aliorum duorum.

duorum, Donati, et Drisii. Rome; natalis sanctorum, Metrobii, Pauli et Zenoti.

bii. Kal. Ianuarii.

B. Bethleem Iude; natiuitas Saluatoris domini nostri Ihesu Christi secundum carnem. Eodem die; natalis sancte Anastasie. Que tempore Diocleciani, primo diram et immitem custodiam a uiro suo Publico perpessa. in qua tamen a Grisogono confessore multum consolata et confortata est. Deinde a prefecto Illirico in grauissima atque diutina custodia macerata est. In qua duobus mensibus refecta est celestibus escis, per sanctam Theodoten, que martirium perpessa est. Deinde naui imposita cum ducentis uiris, et quingentis uiginti feminis, ut demergerentur in mari, perlata est ad insulas Palmarias. Vbi per manus et pedes extensa, et ligata ad palos fixos, et circa medium eius ignis accensus est, in quo martirium consummauit. Et omnes, qui cum illa uenerant, uariis interfectionibus martirium celebrarunt. Inter quos omnes unus erat, nomine Eutichianus, innocentissime nature, qui sublatis sibi, cum diues esset, omnibus facultatibus, tacuit, nichil cogitans, nichilque metuens, nisi hoc, ne facultates ac diuitias fidei perderet. Quocienscunque fuisset auditus, quotienscunque interrogatus, nichil aliud dicebat, Christum michi non tollet, etiam si capud abstulerit. Tunc Apollonia, Christiana matrona, tollens corpus beate Anastasie, exosculatis et aromatibus condiens, dignisque lintheaminibus obuoluens, intra uiridarium domus sue fabricata basilica, ut decuit martirem sepeliuit. Ipso die in cimiterio Aproniani; passio sancte Eugenie uirginis. Que tempore Gallieni imperatoris, post multa uirtutum insignia, in sacros uirginum choros, quas Christo domino aggregauerat, sub Niccecio urbis prefecto, alligata saxo et precipitata in Tyberim, mergi non potuit. Inde thermis ignitis inclusa, illesa reperta est. Nouissime in custodia gladio iugulatur,

et sublatum est corpus ab affinibus suis Christianis, et positum est non longe ab urbe, uia Latina, in predio eius proprio, ubi multorum sanctorum ipsa sepelierat membra. Constantinopolim; sancti Athanasii.

bii. Kal. Januarii.

C. In oppido Ierosolimitano, uia Gaphargamula; passio sancti Stephani *martyris* diaconi. Qui lapidatus a Iudeis, et a Gamalieno sancto sepultus, et postea a Luciano presbitero inuentus, et a Iohanne episcopo Ierosolimam translatus, postea ab Euodio et Alipio, uel ceteris episcopis, tunica eius transportata fuit in Affrica. Vnde Augustus episcopus multa mirabilia scribit. Rome; depositio sancti Dionisii. In Antiochia; Iuliani et Marciani.

bi. Kal. Januarij.

D. Natalis beati Iohannis, apostoli et euangeliste, quem Ihesus amauit plurimum. Qui secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, postea quam in oleum ignitum dimersus est, in Pathmos insulam religatus, uidit apocalipsin. Interfecto autem Domiciano, *et* extis eius ob nimiam crudelitatem recisis, sub imperatore Nerua rediit Ephesum. Et quia concussam, absente eo, per hereticos uidit ecclesie fidem, confestim hanc descriptam in euangelio suo uerbi dei eternitate stabiliuit. Ibique usque ad Traianum principem perseuerans, totas Asie fundauit rexitque ecclesias. Et confectus senio, sexagesimo octauo post passionem domini anno, mortuus est, et iuxta eandem urbem sepultus. Eodem die; ordinatio episcopatus sancti Iacobi fratris domini. Qui ab apostolis primus ex Iudeis Ierosolimis est episcopus ordinatus, et medio pasca martirio coronatus.

b. Kal. Januarii.

E. Bethleem; passio sanctorum infantium et lactentium, qui sub Herodis perfidia pro Christo passi sunt. In Affrica; Castoris, Uictoris, et Rogationi.

iiii. Kal. Januarij.

F. Dauid regis. Item, apud Relatin; natalis sancti Trophimi, episcopi et confessoris. Qui Rome a sanctis apostolis ordinatus, primus ad eandem urbem, ob Christi euangelium predicandum, directus est. Ex cuius fonte, ut beatus Zosimus scribit, tote Gallie fidei riuulos acceperunt. Rome; Felicis, et Bonefacij episcopi. In pago Axomense, Ottico monasterio; depositio sancti Ebrulfi confessoris. In Affrica; Crescentii, et Libosi episcopi. Cantuarie; passio sancti Thome, eiusdem ecclesie archiepiscopi.

iii. Kal. Januarij.

G. Oya insula; sancti Florenti, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti. Turonis; sancti Perpetui, episcopi et confessoris. In Alexandria; Mansueti, Securi, Donati, Honori, Polecliti, Appianis.

ii. Kal. Januarii.

A. Rome; natalis sancti Siluestri pape, Donati, Pauli, Senonis. Passio sancti Columbe uirginis. Que superato igne, gladio cesa est, sub Aureliano imperatore. Cartagine; Celestini, Saturnini.

Explicit martilogium per anni circulum.

Euangelia per totum annum in capitulo dicenda. Si in dominica euenerit in capitulo legitur.

IN illo tempore: cum esset desponsata mater Ihesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Cum desponsata esset mater Ihesu Maria Ioseph. Que fuit necessitas ut desponsata esset Maria Ioseph? nisi propterea quatinus hoc sacramentum diabolo celeretur, et ille malignus fraudis commenta aduersus desponsatam uirginem nulla penitus inuenisset.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad inuicem, Transeamus usque Bethleem, et uideamus hoc uerbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Nato in Bethleem domino Saluatore sicut sacra euangelii testatur historia; pastoribus qui in regione eadem erant uigilantes uigilias noctis super gregem suum, angelus domini cum magna luce apparuit, exortumque in mundo solem iusticie, non solum celestis uoce sermonis, uerum eciam claritate lucis diuine astruxit.

In Die Natalis Domini.

In principio erat uerbum, et uerbum erat apud deum, et deus erat uerbum. Quia temporalem mediatoris dei et hominum, hominis Ihesu Christi, natiuitatem, que hodierna die facta est, sanctorum uerbis euangelistarum, Mathei uidelicet, et Luce, manifestatam cognouimus, libet etiam de uerbi diuinitatis eius eternitate, in qua patri manet semper equalis, beati Iohannis euangeliste dicta scrutari, qui singulari priuilegio meruit castitatis, ut ceteris alcius diuinitatis ipsius caperet simul *et* patefaceret archanum.

In

In Natalis Sancti Stephani Prothomartiris.

In illo tempore: Dicebat Ihesus turbis Iudeorum, et principibus sacerdotum. Ecce, ego mitto ad uos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis. Hoc quod ante dixeram, uos implete mensuram patrum uestrorum, ad personam domini pertinere, eo quod occidendus esset ab eis; potest et ad discipulos eius referri.

De Sancto Iohanne.

In illo tempore. Dixit Ihesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, uidit illum discipulum, quem diligebat Ihesus, sequentem, qui et recubuit in cena super pectus eius. Lectio sancti euangelii, que nobis lecta est, fratres mei, tanto maiori a nobis intentione debet per singula uerba pensari, quanto magna gratie superne dulcidine tota redundat. Commendat enim nobis beatissimus euangelista et apostolus Iohannes, priuilegium amoris precipui, quo ceteris *amplius* meruit a domino honorari

In Natalis Sanctorum Innocentium.

In illo tempore: Angelus domini apparuit in sompnis Ioseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Egiptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. De morte pretiosa martyrum Christi innocentum, sacra nobis est, fratres karissimi, euangelii lectio recitata, in qua tamen Christi omnium martyrum pretiosa est mors designata. Quod enim parauli occisi sunt, significat per humilitatis meritum ad martirij perueniendum gloriam, et in qua, nisi conuersus fuerit quis, et effectus ut parulus, non possit animam dare pro Christo.

In

In Circumcisione Domini.

In illo tempore: Cum consummati essent dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius Ihesus, quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Sanctam uenerandamque *presentis* diei memoriam, paucis quidem uerbis euangelista comprehendit, sed non pauca celestis misterii uirtute grauidam reliquit. Exposita namque natiuitate dominica, cuius gaudia mox angeli dignis laudibus extulerunt, pastores deuota uisitatione celebrarunt, omnes, qui tunc audiere, mirati sunt, nos quoque pro modulo nostro, pro ut potuimus, proxime, domino largiente, congruis missarum ymnorumque sollempniis exegimus, subiunxit atque ait: Et post quam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius Ihesus.

Dominica Prima post Natale Domini.

In illo tempore: Erant pater Ihesu et mater admirantes super his que dicebantur de illo. Congregemus in unum ea, que in ortu domini Ihesu dicta scriptaque sunt de eo, et tunc scire poterimus singula queque digna esse miraculo. Quamobrem mirabitur et pater. Sic enim appellatus est et Ioseph, quia nutricius eius fuit. Mirabatur et mater, super omnibus qui dicebantur de illo.

In Epiphania Domini.

Cvm natus esset Ihesus in Bethleem Iude in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente uenerunt Ierosolimam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et uenimus adorare eum. Sicut ex lectione euangelica, fratres, audistis, celi rege nato, rex terre turbatus est, quia nimirum, terrena altitudo confunditur, cum celsitudo celestis aperitur.

Edmondus Hedyan. anno d^i^. M^o^. cccc. nong^mo^.

Octaua

Octaua Epíphaníe Domíní.

In illo tempore: Venit Ihesus a Galilea in Iordanem *ad Iohannem*, ut baptizaretur ab eo. Lectio sancti Euangelii, quam modo, fratres, audiuimus, magnum nobis, et in domino et in seruo, dat perfecte humilitatis exemplum. In domino quidem, quia cum sit dominus deus, non solum ab homine seruo baptizari, sed eciam ipse ad hunc baptizandus uenire dignatus est: in seruo autem, quia cum sciret precursorem se ac baptistam sui saluatoris esse destitutum, memor tamen proprie fragilitatis, iniunctum sibi humiliter excusauit officium, dicens: Ego debeo a te baptizari, et tu uenis ad me.

Domínica Príma post Epíphaníam Domíní.

In illo tempore: Cum esset Ihesus annorum xii*cim* ascendentibus illis Ierosolimam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Ihesus in Ierosalem, et non cognouerunt parentes eius. Aperte nobis est, fratres karissimi, sancti Euangelii lectio recitata, neque opus est, ut in ea quid exponendo, sed potuis ammonendo, loquamur.

Domínica Secunda.

In illo tempore: Nuptie facte sunt in Chana Galilee, et erat mater Ihesu ibi. Quod dominus noster atque saluator ad nuptias uocatus, non solum uenire, sed et miraculum ibidem, quo conuiuas letificaret, facere dignatus est, exceptis sacramentorum figuris celestium, etiam iuxta literam, fidem recte credentium confirmat.

Domínica Tercía.

In illo tempore: Cum descendisset Ihesus de monte, secute sunt eum turbe multe. Et ecce leprosus ueniens, adorabat eum, dicens:

 Domine,

Domine, si uis, potes me mundare. Docente in monte domino, discipuli uenerunt ad eum, sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici, uel fratres. Ideo ait *et* dominus ad eos. Vos estis sal terre, et uos estis lux mundi.

Dominica Quarta.

In illo tempore: Ascendente Ihesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus. Ingrediente domino in nauicula, secuti sunt eum discipuli eius; non imbecilles sed firmi, et stabiles in fide, mansueti et pii, spernentes mundum, non dupplici corde sed simplici. Hii ergo secuti sunt eum, non tamen gressus eius sequentes, sed magis sanctitatem comitantes, et iusticiam eius sectantes.

Dominica Quinta.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis. Simile factum est regnum celorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Dimittit ergo turbam Ihesus, et domum reuertitur, ut accedant ad eum discipuli sui, et interrogent, quod populus merebatur audire, nec poterat. Nam dimissis turbis, uenit in domum, et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Ediscere nobis parabolam zizanniorum agri.

In Purificatione Sancte Marie.

In illo tempore: postquam impleti sunt dies purgationis Marie, secundum legem Moysi, tulerunt Ihesum in Ierosalem, ut sisterent eum domino. Sollempnitatem nobis hodierne celebritatis, quam, quadragesimo dominice natiuitatis die, debitis ueneramur officiis, maxime eiusdem domini nostri saluatoris, simul et intemerate genitricis eius, humilitate dedicatam, sacra euangelii lectio designat, exponens eos, qui nichil legi debebant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis.

Dominica

Domínica in Septuagesíma.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum celorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in uineam suam. In explanatione sua multa ad loquendum sancti Euangelii lectio postulat, quam uolo, si possum, sub breuitate perstringere, ne nos et extensa processio et prolixa expositio uideatur onerare. Regnum celorum patri familias simile dicitur, qui ad excolendam uineam suam operarios conducit.

Domínica in Sexagesíma.

In illo tempore: cum turba plurima conuenirent ad Ihesum, et de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. Exit qui seminat, seminare semen suum. Lectio sancti Euangelii quam modo, fratres karissimi, audistis, expositionem non indiget, sed ammonitionem. Quam enim per semet ipsam ueritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non presumit. Set est quod sollicite, in hac ipsa expositione dominica, pensare debeatis, quia si nos uobis semen uerbum, agrum mundum, uolucres demonia, spinas diuitias significare dicemus, ad credendum nobis forsitan mens uestra dubitaret.

Domínica in Quínquagesíma.

In illo tempore: Assumpsit Ihesus duodecim discipulos suos, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolimam, et consummabuntur omnia, que scripta sunt per prophetas de filio hominis. Redemptor noster, preuidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longe ante, et eiusdem passionis penam, et resurrectionis sue gloriam, predicit, ut cum moriente, sicut predictum est, cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli, nullo modo ualebant capere uerba misterii, uenitur ad miraculum.

Domínica Prima Quadragesíme.

In illo tempore: Ductus est Ihesus in desertum a spiritu, ut temptaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Dubitari a quibusdam solet, a quo spiritu sit Ihesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur, assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, et rursus assumpsit eum in montem excelsum.

Domínica Secunda Quadragesíme.

In illo tempore: Egressus Ihesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce, mulier Chananea, a finibus illis egressa, clamabat dicens: Miserere mei domine fili Dauid; filia mea male a demonio uexatur. Mira res! Ecce mulier, capud peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis antique. Ecce mulier ueniebat ad dominum Ihesum: mulier alienigena, de gentibus nouella plantatio. Mirum negotium!

Domínica Tercía Quadragesíme.

In illo tempore: Erat Ihesus eiciens demonium, et illud erat mutum, et cum eiecisset demonium, locutus est mutus, et admirate sunt turbe. Demoniacus iste, apud Matheum, non solum mutus, sed et cecus esse narratur, curatusque a domino, ita ut loqueretur et uideret. Tria generalia signa simul in uno homine perpetrata sunt. Cecus uidet; mutus loquitur; possessus a demone liberatur.

Domínica Quarta Quadragesíme.

In illo tempore: Abiit Ihesus trans mare Galilee, quod est Tyberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa, que faciebat, super hiis qui infirmabantur. Qui signa et miracula domini

ac

ac saluatoris recte, cum legunt uel audiunt, accipiunt, non tam in his, quod foris stupeant, attendunt, quam quid horum exemplo ipsi interius agere, quid in his misticum perpendere debeant, inspiciunt.

Dominica de Passione.

In illo tempore: dixit Ihesus turbis. Quis ex uobis arguit me de peccato. Si ueritatem dico, quare non creditis mihi? Qui est ex deo, uerba dei audit. Pensate, fratres karissimi, mansuetudinem dei, relaxare peccata uenerat, et dicebat. Quis ex uobis arguet me de peccato.

Dominica Palmarum.

In illo tempore: Cum appropinquasset Ihesus Ierosolimis, et uenisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est, et statim inuenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Soluite et adducite mihi. Mediator dei et *hominum*, homo Christus Ihesus, qui pro humani generis salute passurus, de celo descenderat ad terras; appropinquante hora passionis, eiusdem appropinquare uoluit loco passionis, ut eciam per hoc claresceret, et quia non *in*uitus sed sponte pateretur.

In die Pasche.

In illo tempore: Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Salome, abeuntes, emerunt aromata, ut uenientes ungerent Ihesum. Et ualde mane una sabbatorum *ueniunt* ad monumentum, orto iam sole. Multis uobis lectionibus, fratres karissimi, per dictatum loqui consueui, sed quia lascescente stomacho, ea que dictaueram legere ipse non possum, quosdam uestrum minus libenter audientes intueor.

Feria ii.

In illo tempore: Duo ex discipulis Ihesu ibant in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierosalem, nomine Emaus. Et ipsi

ipsi loquebantur ad inuicem, de his omnibus que acciderunt. In cotidiana uobis sollempnitate laborantibus pauca loquenda sunt, et fortasse hec utilius proderunt, quia sepe et alimenta que minus sufficiunt, auidius sumuntur. Lectionis ergo euangelice summatim sensum statui, non per singula uerba discutere, ne delectionem uestram ualeat sermo prolixior expositionis onerare.

Feria iii.

In illo tempore: Stetit Ihesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis: Pax uobis: Ego sum: nolite timere. Conturbati uero et conterriti existimabant se spiritum uidere. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda uestra. Uidete manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Gloriam sue resurrectionis dominus et redemptor noster paulatim discipulis, et per incrementum temporis, ostendit, quia nimirum tanta erat uirtus miraculi, ut hanc repente totam capere fragilia mortalium pectora non possent.

Feria iiij.

In illo tempore: Manifestauit se iterum Ihesus discipulis suis, ad mare Tyberiadis; manifestauit autem sic. Erant autem simul Symon Petrus, et Thomas qui dicitur Didimus, et Nathanael qui erat a Chana Galilee, et filii Zebedei, et alii ex discipulis eius duo. Dicit ei Symon Petrus: Uado piscari. Dicunt ei: Uenimus et nos tecum. Lectio sancti Euangelii que modo in auribus uestris lecta est, fratres mei, questione animum pulsat, sed pulsatione sua uim discretionis indicat. Queri et enim potest, cur Petrus, qui piscator ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem rediit, *et* cum ueritas dicat: Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno dei, Cur repeciit, quod dereliquid.

Feria

Feria Quinta.

In illo tempore: Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, et prospexit in monumentum, et uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad capud, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus domini Ihesu. Maria Magdalene, que fuerat in ciuitate peccatrix, amando ueritatem, lauit lacrimis maculas criminis, et uox ueritatis impletur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Feria Sexta.

In illo tempore: Vndecim discipuli abierunt in Galileam, in montem ubi constituerat illis Ihesus. Et uidentibus eum, adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Ihesus, locutus est eis dicens: Data est michi omnis potestas in celo et in terra. Euangelica lectio, fratres karissimi, quam modo audiuimus, et iuxta literam gaudio plena refulget; quia triumphum redemptoris nostri, simul et redemptionis nostre dona, plano sermone describit: et si hanc enucleatius pertractare uelimus, gratiorem in littera fructum spiritalis sensus inclitum esse comperimus.

Sabbato.

In illo tempore: Vna sabbati Marie Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebre essent, ad monumentum, et uidit lapidem sublatum a monumento. Tractus longa molestia stomachus diu me caritati uestri de lectionis euangelice loqui expositione exhibuit. Vox namque ipsa a clamoris uirtute subcumbit. Et quia a multis audiri non ualeo, loqui, feteor, inter multos erubisco, sed hanc in me uerecundiam reprehendo.

Dominica in Albis.

In illo tempore: Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clause, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, uenit Ihesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax uobis. Prima lectionis huius euangelice questio animum pulsat, quomodo post resurrectionem corpus dominicum uerum fuit, quod clausis iannis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis, quod diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est ammirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum.

Dominica Secunda post Pasca.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercennarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oues proprie, uidet lupum uenientem, et fugit, et dimittit oues. Audistis, fratres karissimi, ex lectione euangelica eruditionem uestram, audistis ex lectione euangelica periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit, ego sum pastor bonus; atque eiusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, aduingit, dicens: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

Dominica Tercia post Pasca.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Modicum et iam non uidebitis me, et iterum modicum et uidebitis me, quia uado ad patrem. Leta domini et saluatoris nostri promissa, fratres karissimi, cordis auditu percipere debemus; sedulaque intentione persistere, quatinus ad hec contingere mereamur. Quid est enim, quod merito lecius audiatur, quam perueniri posse, ad regnum quod nunquam possit auferri.

Dominica

Dominica iiii. post Pasca.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Vado ad eum qui me misit, et nemo ex uobis interrogat me quo uadis. Sed quia hec locutus sum uobis, tristicia impleuit cor uestrum. Sicut ex lectione euangelica, fratres karissimi, audiuimus, dominus et redemptor noster, imminente sue passionis articulo, discipulis et gloriam ascentionis, qua ipse post mortem et resurrectionem erat glorificandus, et aduentum spiritus sancti, quo illi erant illustrandi, patefecit, quatinus instante hora passionis eiusdem, minus pro illius morte dolerent, quem post mortem ad celos subleuandum non dubitarent.

Dominica Quinta.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Amen, amen, dico uobis, siquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium uestrum plenum sit. Potest mouere infirmos auditores, quomodo in capite huius euangelice leccionis, discipulis saluator promittat, si quid inquiens petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis; cum non solum nostri similes multa, que patrem in Christi nomine uidentur petere, non accipiant.

In Ascencione Domini.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis dominus Ihesus, et exprobrauit incredulitatem illorum, et duritiam cordis; quia his, qui uiderant eum resurrexisse, non crediderunt. Quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio, illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est. Que dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur?

Octaua post Ascentionem Domini.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Cum uenerit paraclitus, quem ego mittam uobis a patre, spiritum ueritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Ex multis euangelii locis inuenimus, quia discipuli, ante aduentum sancti spiritus, minus capaces erant ad intelligenda archana diuine sublimitatis, minus fortes ad toleranda aduersa humane prauitatis, sed eis adueniente spiritu sancto, cum augmento diuine agnitionis, data est etiam constantia uincende humane persecutionis.

In Die Sancto Pentecosten.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meam seruabit. Et pater meus diliget eum, et ad eum ueniemus, et mansionem apud eum faciemus. Libet, fratres karissimi, euangelice uerba lectionis sub breuitate transcurrere; ut post diutius liceat in contemplatione tante solempnitatis immorari. Hodie namque spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos uenit, mentesque carnalium in sui amorem permutauit. Et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia, quia dum deum in ignis uisione percipiunt, per amorem suauiter arserunt.

Feria Secunda.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam eternam. Saluator noster, fratres karissimi, qui ad redemptionem humani generis in hunc mundum uenire dignatus est, satis euidenter euangelicis sermonibus nobis insinuari dignatus est, dicens: Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

Feria Tercia.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Amen, amen, dico uobis, qui non intrat per hostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. De illuminato illo, qui natus est cecus, sermo ad Iudeos domini exortus est. Huic itaque lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit, et commoueri caritas uestra.

Feria Quarta.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum. Magna gratie commendatio. Nemo uenit nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat, quare illum trahat, et illum non trahat, noli uelle iudicare, si non uis errare.

Feria Quinta.

In illo tempore: Conuocatus Ihesus duodecim apostolis, dedit illis uirtutem et potestatem super omnia demonia, et ut languores curarent. Concessa primum potestate signorum, misit predicare regnum dei, ut promissorum magnitudinem attestaretur eciam magnitudo factorum, fidemque uerbis daret uirtus ostensa, et noua facerent, qui noua predicarent.

Feria Sexta.

In illo tempore: factum est in una dierum, et Ihesus sedebat docens. Et erant Pharisei sedentes. Vbi dominus sedens docuerit, quando, scribis et Phariseis consedentibus, paraliticum curauit, Lucas breuiandi gratia preteriit, sed Matheus et Marcus qui narrant, questionem facere uidentur, quoniam quidem Matheus in ciuitate sua, Marcus in Capharnaum, hoc eum fecisse testantur.

Sabbato.

In illo tempore: Surgens Ihesus de synagoga, introiuit in domum Symonis. Socrus autem Symonis tenebatur magnis febribus. Cum intrauit Ihesus in domum Petri, audistis ex lectione euangelica, fratres karissimi, socrus Petri tenebatur magnis febribus. Domus Petri, quod dicitur, uetus lex intelligitur: socrus autem Petri, synagoga. Filia synagoge, ecclesia gentium accipitur.

Dominica Sancte Trinitatis.

In illo tempore: Erat homo ex Phariseis, Nichodemus nomine, princeps Iudeorum. Hic uenit ad Ihesum nocte, et dixit ei. Rabbi, scimus quia a deo uenisti magister. Nemo enim potest hec signa facere, que tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Sicut ex lectione sancti euangelii, fratres karissimi, audistis, princeps Iudeorum uenit ad dominum nocte, cupiens, secreta eius allocutione, plenius discere misteria fidei, cuius, aperta ostentione signorum, aliquatenus iam rudimenta perceperat.

Dominica Prima post Octauam Pentecostes.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, et induebatur purpura et bisso, et epulabatur cotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, que cadebant de mensa diuitis, et nemo illi dabat. In uerbis sacri eloquii, fratres, prius seruanda est ueritas hystorie, et postmodum requirenda spiritalis intelligentia alligorie. Tunc namque aligorie fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam ueritatis radice solidatur.

Dominica

Dominica Secunda.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis similitudinem hanc. Homo quidam fecit cenam magnam, et uocauit multos. Et misit seruum suum hora cene dicere inuitatis, ut uenirent. Hoc distare, fratres karissimi, inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales delicie, cum non habentur, graue in se desiderium accendunt, cum uero habite eduntur, comedentem protinus in fastidium per sacietatem uertunt.

Dominica Tercia Post Octauam Pentecostes.

In illo tempore: Accesserunt ad Ihesum publicani et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Pharisei et scribe, dicentes, quia hic peccatores recipit, et manducat cum eis. Estiuum tempus, quod corpori meo ualde contrarium est, loqui me de expositione euangelii, longa mora interueniente, prohibuit; sed non quia lingua tacuit, ardere caritas cessauit.

Dominica Quarta Post Octauam Pentecostes.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et pater uester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicabimini. Hoc loco nobis nichil aliud precipi existimo, nisi ut ea facta, que dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

Dominica Quinta.

In illo tempore: Cum turbe irruerent ad Ihesum, ut audirent uerbum dei, et ipse stabat secus stagnum Genezareth. Stagnum Genezareth idem dicunt esse quod mare Galilee, uel mare Tyberiadis, sed mare Galilee ab adiacente prouintia dictum, mare Tyberiadis a prox-

ima

ima ciuitate, que olim Cennereth uocata, sed ab Herode tetrarcha in staurata, in honorem Tyberii Cesaris, Tyberias est appellata.

Domínica Sexta.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Amen dico uobis, nisi habundauerit iusticia uestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum. Amen, quippe, dico uobis, donec transeat celum et terra, iota unum, aut unus apex, non preteribit a lege, donec omnia fiant. Dum enim fiunt eciam illa, que adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa, que premissa sunt ad inchoationem.

Domínica Septíma.

In illo tempore: Cum turba multa esset cum Ihesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Turba triduo dominum sustinet, quando multitudo fidelium, peccata que perpetrauit per penitentiam declinans, ad dominum se, in opere, in locutione, atque in cogitatione conuertit.

Domínica Octaua.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Paulo superius spatiosam et latam uiam nominauit, hoc nunc apercius falsos prophetas ostendit, per quos multi in perdicione abhominabilem abierunt. Qui primo in Iudea multi apparuerunt, et modo perfidia totum repleuerunt mundum.

Domínica Nona.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Homo quidam erat dives, qui habebat uillicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi

dissipasset

dissipasset bona ipsius. Quis sit uillicus iniquitatis, qui domini uoce laudatur? cuius cum uellem scire rationem, et de quo fonte processerit, reuolui uolumen euangelicum, et inter cetera repperi, quod, appropinquantibus saluatori publicanis et peccatoribus, ut audirent eum, murmurabant Pharisei et scribe, dicentes: Quare hic peccatores suscipit, et comedit cum eis?

Dominica Decima.

In illo tempore: Cum appropinquasset Ihesus Ierosalem, uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens, quia si cognouisset et tu, Et quidem in hac die tua, que ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Lectionem breuem sancti euangelii, breui, si possum, uolo sermone percurrere, ut illis in ea prolixior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitare. Quod flente domino illa Ierosolimorum subuersio describatur, a Uespasiano et Thyto, Romanis principibus, facta est, nullus qui hystoriam euersionis eiusdem legit, ignorat.

Dominica Undecima.

In illo tempore: Dixit Ihesus ad quosdam, qui in se confitebant tanquam iusti, et aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum, ut orarent, unus Phariseus, et alter publicanus. Quia parabolam dominus, qua semper oraret et non deficere docebat, ita conclusit, ut diceret, ueniente iudice difficile fidem in terra reperiendam; ne quis sibi forte de superuacua fidei cognitione, uel eciam confessione blandiretur, mox altera iuncta parabola diligentius ostendit, a deo fidei non uerba examinanda, sed opera, inter que nimirum opera, maxime regnat humilitas.

Dominica Duodecima.

In illo tempore: Exiens Ihesus de finibus Tyri, uenit per Sydonem ad mare Galilee, per medios fines Decapoleos. Surdus ille et mutus,

mutus, quem curatum a domino modo, cum euangelium legeretur, audiuimus, genus designat humanum, in hiis qui ab errore diabolice deceptionis, diuina merentur gratia liberari, Obsurduit namque homo ab audiendo uite uerbo, postquam mortifera serpentis uerba, contra deum tumidus audiuit.

Dominica Tertiadecima.

In illo tempore: dixit Ihesus discipulis suis: Beati oculi qui uident, que uos uidetis. Non oculi scribarum et Phariseorum, qui corpus domini tantum uidere, sed illi oculi sunt beati, qui eius possunt cognoscere sacramenta, de quibus dicitur, et reuelasti ea paruulis. Beati oculi paruulorum, quibus et se et patrem reuelare et filius dignatur.

Dominica Quartadecima post Pentecosten.

Et factum est, dum iret Ihesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galileam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi. Leprosi non absurde intelligi possunt, qui scientiam uere fidei non habentes, uarias doctrinas profitentur erroris. Non enim uel abscondunt impericiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et iactantiam sermonis ostendunt. Nulla porro falsa doctrina est, que non aliqua uera intermisceat.

Dominica Quintadecima.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis seruire. Quia non ualet simul transitoria et eterna diligere. Si enim eternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in affectu, possidemus. Aut enim unum odiet, et alterum diliget, aut uni adherebit, et alterum contempnet. Hec uerba diligenter consideranda sunt. Nam qui sint duo domini, consequenter exponit, dicens: Non potestis deo seruire et mammone.

Dominica Sextadecima.

In illo tempore: Ibat Ihesus in ciuitatem que uocatur Naym, et ibant discipuli eius cum illo, et turba copiosa. Naym ciuitas est Galilee, in secundo miliario Thabor montis, contra meridiem, iuxta Endor, qui est uicus grandus, in quarto miliario eiusdem montis, ad meridiem. Et ibant cum illo discipuli eius, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret porte ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris sue.

Dominica Septimadecima.

In illo tempore: Cum intraret Ihesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato, manducare panem, et ipsi obseruabant eum. Ydropis morbus ab aquoso humore uocabulum trahit. Grece autem aqua, ydor uocatur. Est autem humor sub cutaneis de uitio uesice natus, cum inflatione turgente, et anhelitu fetido.

Octauadecima.

In illo tempore: Interrogauit Ihesum unus de Scribis, quia uidebat illos conquirentes. Et uidens quam bene illis responderet, interrogauit eum, quod esset primum omnium mandatum. Et interrogauit eum unus legis doctor. Conuenerunt, ut multitudine uincerent, quem ratione superare non poterant. A ueritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt.

Nonadecima Dominica.

In illo tempore: Ascendens Ihesus in nauiculam transfretauit, et uenit in ciuitatem suam, et ecce, offerebant ei paraliticum in lecto iacentem. Christum in humanis actibus diuina gessisse misteria, in rebus uisibilibus inuisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstrauit. Ascendit, inquit, in nauiculam, et transfretauit, et uenit in ciuitatem suam. Nonne ipse est, qui fugatis fluctibus maris profunda

 nudauit,

nudauit, et Israeliticus populus inter stupentes undas sicco uestigio, uelud montium concaua, transiret.

Dominica Vicesima.

In illo tempore: loquebatur Ihesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum celorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Textum lectionis euangelice, fratres karissimi, uolo, si possum, sub breuitate transcurere, ut in fine eius ualeam ad loquendum largius uacare. Sed querendum prius est, an hec apud Matheum ipsa sit lectio, que apud Lucam sub appellatione cene describitur. Et quidem sunt nonnulla, que sibi dissona esse uideantur, quia hic prandium, illic cena memoratur.

Dominica xxi.

In illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic, cum audisset, quia Ihesus adueniret a Iudea in Galileam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium eius. Lectio sancti euangelii, quam modo, fratres, audistis, expositione non indiget. Sed ne hanc tacite preterisse uideamur, exhortando potius quam exponendo, in ea aliquid loquamur.

Dominica xxii.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis parabolam hanc. Simile est regnum celorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Familiare est Syris, et maxime Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere, ut quod per simplex preceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exempli teneatur.

Dominica xxiii.

In illo tempore: Abeuntes Pharisei consilium inierunt, ut caperent Ihesum in sermone. Et obseruantes miserunt insidiatores, qui

se

se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, et traderent eum principatui et potestati presidis. Querentes dominum comprehendere principes sacerdotum et scribe, timuerunt populum, atque ideo quod per se non poterant, presidis manibus efficere temptabant, ut uelud ipsi a morte eius uiderentur inmunes.

Dominica xxiiij.

In illo tempore: Loquente Ihesu ad turbas, ecce, princeps unus accessit, et adoratur eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est. Ecce uir uenit, cui nomen Iairus, et ipse princeps synagoge erat. Priori lectioni, quam de abiectione synagoge, fideque ecclesie, atque iterum instauratione sinagoge *sumus* interpretati, consequenter archisinagogi filia monens subiungitur.

Dominica xxb.

In illo tempore: Cum subleuasset oculos Ihesus, et uidisset maximam multitudinem uenientem ad se, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi. Miracula, que fecit dominus noster Ihesus Christus, sunt quidem diuina opera, et ad intelligendum deum de inuisibilibus ammonent humana mentem. Quia enim ille non est talis substantia, que uideri oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit, uniuersamque creaturam amministrat, assiduitate uiluerunt, ita ut pene nemo dignetur adtendere opera dei mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum ipsam suam misericordiam seruauit sibi quendam, que faceret oportuno tempore, preter usitatum cursum ordineque nature, ut non maiora sed insolita uiuendo stuperent, quibus cotidiana uiluerant.

Prima Dominica de Aduentu.

In illo tempore: Cum appropinquasset Ihesus Ierosolimis, et uenisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos, di-

cens eis: Ite in castellum quod contra uos est, et statim inuenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Soluite et adducite michi. Puto res ipsa exegit, ut queramus frequenter quidem Ihesus uenit in Ierosalem, sicut Iohannes testatur: nunquam tamen sibi adhibuit ministeria iumentorum, nec ramorum uirentium circa se ornamenta constituit, nec ad terribilem laudem sue diuinitatis animos populi excitauit, nisi modo, quando, ut pateretur, ascendit.

Dominica Secunda.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium pre confusione, sonitus maris et fluctuum. Dominus ac redemptor noster paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum que mala sequantur denuntiat; ut nos ab eius amore compescat. Appropinquante eius terminum, quante percussiones preueniant innotescit, ut si deum metuere in tranquillitate nolumus, uicinum eius iudicium uel percussionibus attriti timeamus.

Dominica Tercia.

In illo tempore: Cum audisset Iohannes in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Querendum nobis est, fratres karissimi, Iohannes propheta et plusquam propheta, qui uenientem ad Iordanis baptisma dominum ostendit, dicens: ecce, agnus dei, ecce, qui tollit peccata mundi: qui et humilitatem suam, et diuinitatis eius potentiam considerans, dicit, qui de terra est, de terra loquitur, qui autem de celo uenit, super omnes est, cur in carcere positus, mittens discipulos, requirit, tu es qui uenturus es, an alium expectamus? tanquam si ignoraret quem ostenderat, et an ipse sit, nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, ostendendo, clamauerat.

Dominica Quarta.

In illo tempore: Miserunt Iudei ab Ierosolimis sacerdotes et le- [1]
uitas ad Iohannem, ut interrogarent eum, tu quis es. Et huius nobis lectionis uerbis, fratres karissimi, Iohannis humilitas commendatur, qui cum tante uirtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, et non negauit; confessus est, quia non sum ego Christus. Sed qui dixit, non sum, negauit plane, quod non erat; sed non negauit quod erat, et ueritatem loquens, eius membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non usurpauit.

Incipiunt Euangelia de Sanctis in Capitulo dicenda.

In Natali Sancti Siluestri Confessoris, Pridias Kal. Ianuarii.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam peregre proficiscens uocauit seruos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii uero unum. Lectio sancti euangelii, fratres karissimi, sollicite considerare nos ammonet, ne nos qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi inde grauius iudicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.

In Natali Sancti Fursei Confessoris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis similitudinem hanc. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit illis decem nas, et ait illis: Negotiamini dum uenio. Homo nobilis ille est cui cecus supra clamabat, fili Dauid miserere mei, et uenienti Ierosolimam, concinebant, osanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine

mine domini, rex Israel. Longinqua regio ecclesia est ex gentibus, de qua eidem homini nobili qui loquitur: Ego autem constitutus sum rex ab eo, dicitur a patre: Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terre.

Fabiani et Sebastiani.

In illo tempore: Descendens Ihesus de monte stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis, ab omni Iudea, et Ierosalem, et Maritima, et Tyri, et Sydonis, qui uenerant ut audirent eum, ut sanarentur a languoribus suis. Electurus apostolos dominus in montana subiit, turbas uero docturus ad campestria redit; quia non nisi in humili Christum turbe uidere sufficiunt. Nam hec est norma, quam secutus apostolus ait: Non potui uobis loqui tanquam spiritalibus, sed quasi carnalibus, in Christo lac uobis potum dedi, non escam.

In Natali Sancte Agnitis.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum celorum decem uirginibus, que accipientes lam-
[2] pades suas, exierunt obuiam sponso et sponse. Sepe uos, fratres karissimi, ammoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti euangelii lectione compellor dicere, ut et bona que agitis, cum magna cautela timeatis, ne per hoc quod a uobis rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis surripiat, et quod foris ostenditur, intus a mercede uacuetur.

De Sancto Uincentio.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Amen, amen, dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Se ipsum autem dicebat granum mortificandum et multiplicandum.

multiplicandum. Mortificandum infidelitate Iudeorum, multiplicandum in fide populorum. Iam uero exhortans ad passionis sue sectanda uestigia; qui amat, inquit, animam suam, perdet eam.

Conuersio Sancti Pauli Apostoli.

In illo tempore: Dixit Symon Petrus ad Ihesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis. Grandis fiducia. Petrus piscator erat: diues non fuerat: cibos manu et arte querebat; et tamen loquitur cum fiducia, reliquimus omnia. Et qui non sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est: et secuti sumus te. Fecimus quod iussisti: quid igitur dabis premii?

De Sancte Agathe Virginis.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Simile est regnum celorum decem uirginibus, que accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso et sponse. Hanc parabolam, id est, similitudinem, decem uirginum fatuarum atque prudentium, quidam simpliciter in uirginibus interpretantur, quarum alie, iuxta apostolum, et corpore et mente sunt uirgines, alie uirginitatem tantum corporum reseruantes, uel cetera opera non habent proposito suo similia, uel parentum custodiam seruare, nichilominus mente nupserunt.

Sanctorum Vedasti et Amandi.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Sint lumbi uestri precincti, et lucerne ardentes in manibus uestris. Et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptiis. Sancti euangelii, fratres karissimi, aperta nobis est lectio recitata, sed ne aliquibus ipsa eius planicies alta fortasse uideatur, eam sub breuitate transcurrimus, quatinus eius expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Quia uiris luxuria in lumbis

bis sit, feminis in umbilico, testatur dominus, qui de diabolo ad bea-
[3] tum Iob loquitur, dicens: Uirtus in lumbis eius, et fortitudo illius in umbilico uentris eius.

Cathedra Sancti Petri in Antiochia.

In illo tempore: Uenit Ihesus in partes Cesaree Philippi, et interrogauit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis. Lectio sancti euangelii quam, fratres, audistis, tanto intentius cogitanda ac sine obliuione est iugiter retinenda, quanto constat, quia magnam nobis fidei perfectionem commendat, magnam eiusdem perfecte fidei, contra omnia temptamenta, robur eque demonstrat. Si enim scire uolumus, quomodo in Christum credi oporteat, quid lucidius eo quod ait ad eum Petrus? tu es Christus filius dei uiui.

De Sancto Mathia Apostolo.

In illo tempore: facta est contentio inter discipulos Ihesu, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis Ihesus: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici uocantur. Sicut bonis esse moris solet, in scripturis semper exempla patrum precedentium, quibus ad meliora proficiant, quibus agnitis de suis actibus humiliant inquirere, sic e contrario reprobi, siquid forte in electis reprehensibile repperiunt, quasi suas ex eo nequitias obtecturi, aut pro iusto defensuri, libentissime solent amplecti. Ideoque multo ardentius legunt, quod facta est contentio inter discipulos Christi, quis eorum uideretur maior, quam quod multitudinis credentium erat cor unum et anima una.

Sancti Gregorii Pape.

In illo tempore: Homo quidam peregre. *folio* .1. xc. ut supra.

De

De Sancto Benedicto.

In illo tempore: Dixit Symon Petrus.

In Annunciatione Sancte Marie.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel a deo in ciuitatem Galilee, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, et nomen uirginis Maria. Exordium nostre redemptionis, fratres karissimi, hodierna nobis sancti euangelii lectio commendat, que angelum de celis a deo missum narrat ad uirginem, ut nouam in carne natiuitatem filii dei predicaret, per quam nos, abiecta uetustate noxia, renouari, atque inter filios dei computari possimus.

Sancti Ambrosij.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Uos estis sal terre. Quod si sal euanuerit, in quo salietur. Ad illud respicit quod superius dixit, quia doctor omnibus uirtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, ut auariciam libera uoce castiget. Debet esse semper suspirans et lugens, si non sua, uel aliena delecta, ut confundat eos, qui nec peccare dubitant, priusquam peccent, nec postquam peccauerint, tristantur quia peccauerunt.

Marci Euangeliste.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis. Ego sum uitis [4]
uera, et pater meus agricola est. Iste locus euangelicus, fratres, ubi se dicit dominus uitem, et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput ecclesie, nosque membra eius, mediator dei et hominum, homo Christus Ihesus. Vnius quippe nature sunt, uitis et palmites. Propter quod, cum esset deus, cuius nature non sumus,

 factus

factus est homo, ut in illo esset uitis, humana natura, cuius et nos homines palmites esse possemus.

Apostolorum Philippi et Iacobi.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Non turbetur cor uestrum. Creditis in deum, et in me credite. In domo patris mei mansiones multe sunt. Erigenda nobis est, fratres, ad dominum maior intentio, ut uerba sancti euangelii, que modo in auribus nostris sonuerunt, eciam mente capere, utcumque possimus. Ait enim dominus Ihesus Christus: Non turbetur cor uestrum. Creditis in deum, et in me credite. Ne mortem tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, eciam deum se esse constans. Creditis, inquit, in deum, et in me credite.

In Inuentione Sancte Crucis.

In illo tempore: Erat homo ex Phariseis: ut supra in dominica sancte Trinitatis.

Sancti Iohannis ante Portam Latinam.

In illo tempore: Accessit ad Ihesum mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? Ait ei: Dic, ut sedeant hii duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Vnde opinionem regni habet mater filiorum Zebedei, ut cum dominus dixerit, filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condempnabunt eum morte, et tradent gentibus, ad deludendum, et flagellandum, et crucifigendum, et ignominiam passionis timentibus discipulis nuntiaret, illa gloriam postulat triumphatis?

Translatio

Translatio Sancti Nicholai.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Uos estis sal terre. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Debemus pensare continue, quid ad sanctos apostolos dicitur, et per apostolos nobis, uos estis sal terre. Si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Uos igitur qui pastores estis, pensate quia domini animalia pascitis. De quibus perfecto animalibus deo per psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Et sepe uidemus quod, petra salis brutis animalibus ponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, et meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia, petra salis debet esse sacerdos in populis.

Barnabe Apostoli.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Hoc est preceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Cum cuncta sacra eloquia dominicis plena sunt preceptis, quid est, quod de dilectione, [5]
quasi de singulari mandato, dominus dicit: Hoc est preceptum meum, ut diligatis inuicem, nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum preceptum sunt? Quia quicquid precipitur, in sola caritate solidatur.

Geruasii et Prothasii.

In illo tempore: Egrediente Ihesu de templo, ait illi unus ex discipulis suis; Magister aspice quales lapides, et quales structure. Egressus Ihesus de templo, ibat. Et accedunt ad eum discipuli eius, ut ostenderent ei edificia templi. Ipse autem respondens dixit eis. Videtis hec omnia? Amen, dico uobis, non relinquetur lapis super lapidem, que non destruatur. Iuxta hystoriam manifestus est sensus. Recedente autem domino de templo, omnia legis edificia et compositio mandatorum ita destructa est, ut nichil a Iudeis possit impleri, et capite sublato, uniuersa inter se membra compugnent.

Albani Martiris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Ponite in cordibus uestris, non premeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo uobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contra dicere omnes aduersarii uestri: nolite terreri, nolite pertimescere. Uos ad certamen acceditis; sed ego prelior. Uos uerba editis; sed ego sum qui loquor. Sequuntur: Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis; et morte ex uobis afficietur.

In Natiuitate Sancti Johannis Baptiste.

In illo tempore: Elizabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt uicini et cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Precursoris domini natiuitas, sicut sacratissima lectionis euangelice prodit hystoria, multa miraculorum sublimitate refulget, quia nimirum decebat, ut ille, quo maior inter natos mulierum nemo surrexit, majore pre ceteris sanctis in ipso mox ortu uirtutum iubare claresceret. Senes ac diu infecundi parentes dono nobilissime prolis exultant.

Sanctorum Johannis et Pauli, si dominica festum.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Attendite a fermento Phariseorum quod est ypocrisis. Nichil autem opertum est, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur. Attendite a fermento Phariseorum, quod est ypocrisis. Ad hoc fermentum pertinent omnia, que, recumbens apud Phariseum, superius disputauerat, de quo et apostolus precepit: Itaque epulemur non fermento ueteri, neque in fermento malicie et nequitie, sed in azimis sinceritatis et ueritatis.

Apostolorum Petri et Pauli.

[6] In illo tempore: Uenit Ihesus in partes. **Require in Cathedra.**

Commemoratio

Commemoratio Sancti Pauli.

In illo tempore: Respondens Symon Petrus. Require in Conuersione Sancti Pauli.

Octaua Apostolorum.

In illo tempore: Iussit Ihesus discipulos suos ascendere in nauiculam, et precedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Dominus discipulis precepit transfretare, et compellit ut ascendant nauiculam. Quo sermone satis ostenditur, inuitos eos a domino recessisse, dum amore preceptoris, nec puncto quidem temporis ab eo uolunt separari. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Si fuissent cum eo discipuli, Petrus et Iacobus et Iohannes, qui uiderant gloriam transformati, forsitan ascendissent in montem cum eo.

In Diuisione Apostolorum ad Predicandum.

In illo tempore: Conuocatis Ihesus duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, et curarent langorem et omnem infirmitatem. Benignus et clemens dominus ac magister, non inuidet seruis atque discipulis uirtutes suas. Et sicut ipse curauerat omnem langorem et omnem infirmitatem, apostolis quoque suis tribuit potestatem, ut curent omnem langorem et omnem infirmitatem. Set multa distantia est, inter habere, et tribuere; donare, et accipere. Iste quodcunque agit, potestate domini agit: illi si quid faciunt, imbecillitatem suam, et uirtutem domini confitentur, dicentes: In nomine Ihesu, surge et ambula.

Marie Magdalene.

In illo tempore: Rogabat Ihesum quidam Phariseus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei, discubuit. Et ecce mulier, que erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod recubuisset in

domo

domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius, lacrimis cepit rigare pedes eius, *et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius*, et unguento ungebat. Cogitanti michi de Marie penitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim uel saxeum pectus, ille huius peccatricis lacrime ad exemplum penitendi non emolliant. Consideranit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est; non iussa uenit; inter epulas lacrimas obtulit. Dicite quo dolore ardet, que fleret, et inter epulas non erubescit.

Iacobi Apostoli.

In illo tempore: Accessit ad Ihesum. *folio iij.* Ic. ut supra in .iii. fol.

Ad Uincula Sancti Petri.

In illo tempore: Uenit Ihesus in partes Cesaree Philippi, et interrogauit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Non dixit, Quem me dicunt esse homines? ne iactanter de se querere uideretur: sed, Quem dicunt homines esse filium ho-
[7] minis? Sic de se, quasi de alio loquens. Ita debent agere prelati sancte ecclesie. Debent interrogare subiectos, cuius opinionis habeantur a populo. Si bone opinionis, crescant in melius; si uero malam famam habent, corrigant, que correctione digna sunt.

Inuentio Sancti Stephani Prothomartiris.

In illo tempore: Dicebat Ihesus turbis Iudeorum et principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad uos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis. Uere missi sunt sapientes aduersus hereticos patres nostri, sapientes autem litterati. quorum sapientia non in sensibus carnalibus posita est, et in lingua adquisita per exercitationem carnalem, sed sapientes circa dei timorem,

rem, sapientes circa noticiam ueritatis, sapientes animo non corpore, corde non ore, fide non uerbis.

In Transfiguracione Domini.

In illo tempore: Assumpsit Ihesus Petrum, et Iacobum, et Iohannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Euangelica lectio, dilectissimi, que, per aures corporis, interiorem mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam uocat, quam aspirante gratia dei facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea, que paulo superius sunt narrata, referamus. Saluator enim humani generis deus Christus, condens eam fidem, que impios ad iusticiam, et mortuos reuocat ad uitam, ad hoc discipulos suos doctrine monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem et unigenitus dei, filius hominis crederetur. Nam unum horum sine alio non proderat ad salutem.

Sancti Laurencii.

In illo tempore: Amen, amen, dico uobis, nisi granum frumenti. *fol.* 2.

Sancti Ypoliti Sociorumque Eius.

Folio 5. Attendite a fermento Phariseorum.

In Assumptione Sancte Marie Virginis.

In illo tempore: Intrauit Ihesus in quoddam castellum, et ecce mulier quedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror, nomine Maria. Uerba domini nostri Ihesu Christi, que modo ex euangelio recitata sunt, ammonent nos, esse unum aliquid, quo tendamus, quando in huius seculi multitudine laboramus Tendamus autem, ad huc peregrinantes, nondum manentes. Ad huc desiderando, nondum fruendo.

Bartholomei Apostoli.

Facta est contentio inter discipulos Ihesu. *folio* .3.

Sancti Augustini Episcopi.

Uos estis sal terre. *folio* .4.

Decollatio Sancti Johannis Baptiste.

In illo tempore: Audiuit Herodes tetrarcha famam Ihesu, et ait pueris suis: Hic est Iohannes baptista, et surrexit a mortuis. Natalem, fratres karissimi, beati Iohannis baptiste diem celebrantes, oportet ut non solum constantiam passionis illius pia deuotione reco-
[8] lamus, sed et eorum a quibus passus est maliciam nobis in arma nectamur salutis. Tunc *et* enim scripturis sanctis utiliter animum intendimus, cum non solas in eis uirtutes, ac premia iustorum, uerum eciam uitia uindictamque reproborum, ad incitamentum nobis bene agendi proponimus.

In Natali Sancte Marie Virginis.

Liber generationis Ihesu Christi filii Dauid, filii Abraham. Matheus apostolus et euangelista suscepisse intelligitur, incarnationem domini secundum stirpem regiam, et pleraque secundum hominem facta et dicta eius exequi. Vnde et in principio euangelia sui taliter exorsus ait: Liber generationis Ihesum Christi. Quo exordio suo, satis ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. Secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod eciam seipse sepissime appellat, commendans nobis, quod misericorditer dignatus sit esse pro nobis.

In

In Exaltatione Sancte Crucis.

In illo tempore: Dixit Ihesus turbis: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras. Cum igitur dixisset, Nunc princeps huius mundi eicietur foras, et ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham post me. Que omnia? nisi ex quibus ille eicitur foras. Non autem dixit, omnes, sed omnia. Non enim omnium est fides. Non itaque hoc ad uniuersitatem hominum retulit, sed ad creature integritatem, id est, spiritum et animam et corpus; et illud quod intelligimus, et illud quod uidemus, et illud quod uisibiles et contractabiles sumus.

In Natali Sancti Mathei Apostoli.

In illo tempore: Vidit Ihesus hominem sedentem in theloneo, Matheum nomine, et ait illi: Sequere me. Legimus, apostolo dicente, quia omnes peccauerunt, et egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Qui et iterum in estimabilem eiusdem gratie magnitudinem commendans, ait; Vbi autem habundauit peccatum, super habundauit gratiam; quia nimirum, quanto grauiorem dominus in electis suis peccatorum languorem curauit, tanto ampliorem cunctis gratie sue populis potentiam ministrauit.

Mauricii Sociorumque eius.

In illo tempore: Descendens Ihesus de monte stetit. *folio* .1.

Sancti Michaelis Archangeli.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Ihesum dicentes. Quis putas maior est in regno celorum? Quod sepe monui, etiam nunc obseruandum est, cause querende sunt singulorum domini de-

 lictorum

lictorum atque factorum post inuentum staterem, post tributa reddita: quid sibi uult repentina apostolorum interrogatio? In illa hora accesserunt discipuli ad Ihesum, dicentes: Quis putans maior
[9] est in regno celorum? Quia audierant pro Petro et domino, id est tributum redditum, ex equalitate precii arbitrati sunt omnibus apostolis Petrum esse prelatum, qui in redditione tributi domino fuerat comparatus, ideoque interrogant quis maior sit in regno celorum.

Ieronimi Presbiteri.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Bonus homo de bono thesauro cordis sui, profert bonum, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Idem thesaurus cordis, quod radix est arboris; et quod de corde profertur, idem quod arboris fructus.

Remigii et Uedasti.

Folio .2. Sint lumbi uestri precincti. Require in festo sanctorum Uedasti et Amandi.

Dionisij Sociorumque eius.

Folio .1. Descendens Ihesus de monte. Require in festo sanctorum Fabiani et Sebastiani.

Luce Euangeliste.

In illo tempore: Designauit dominus et alios septuaginta duos discipulos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem et locum quo erat ipse uenturus. Dominus et saluator noster, fratres karissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando operibus ammonet. Ipsa et enim facta eius precepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debemus innotescit. Ecce enim, binos in predicationem

nem discipulos mittit, quia duo sunt precepta caritatis, dei, uidelicet, amor, et proximi. Et minus quam inter duos caritas haberi non potest.

Crispini et Crispiniani.

In illo tempore: Dicebat Ihesus turbis Phariseorum et principibus sacerdotum. Ue uobis qui edificatis monumenta prophetarum, patres autem uestri occiderunt illos. Non monumenta prophetarum ornare, sed interfectores prophetarum imitati sceleris est. Iudei ergo prophetarum monumenta edificando, patrum suorum facta, qui eos occiderant, arguebant, sed paterna facinora emulando, dum Christum apostolosque illius insecuntur in se ipsos sententia retorquebant, eadem uidelicet ipsique in parentibus dampnabant.

In natali Symonis et Iude.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Hec mando uobis, ut diligatis inuicem. Per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum de quo ait, Ego uos elegi ut eatis, et fructum afferatis, et fructus uester maneat. Et quod adiunxit: ut quod cunque petieritis patrem in nomine meo det uobis, tunc utique dabit nobis si diligamus inuicem, cum et hoc ipsum ipse dederit nobis qui nos elegit; non, habentes fructum; quia non eum nos elegeramus, et posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, inuicem diligamus.

Sancti Quintini Martiris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis. Si quis uenit ad me, et non odit patrem suum, et matrem suam, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus [10] esse discipulus. Si consideremus, fratres karissimi, que et quanta sunt, que nobis promittuntur in celis, uilescunt animo cuncta que habentur in terris. Terrena namque substantia superne felicitati

 comparata,

comparata, pondus est non subsidium. Temporalis uita eterne uita comparata, mors est potius dicenda quam uita.

In festo Omnium Sanctorum.

In illo tempore: Uidens Ihesus turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum, docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Si queritur quid significat mons, bene intelligitur significare maiora precepta iusticie, quia minora erant que Iudeis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora precepta populo, quem timore adhuc alligare oportebat, per filium suum maiora populo quem caritate liberare conuenerat.

Cesarii, Eustachii, Sociorumque eius.

In illo tempore: Dicebat Ihesus discipulis suis. Cum audieritis prelia et seditiones, nolite terreri. Oportet primum hec fieri, sed nondum statim finis. Dominus ac redemptor noster parituri mundi percurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent uenientia, quo fuerunt prescita. Minus enim iacula feriunt, que preuidentur. Et nos tolerabilius *mundi* mala suscipimus, si contra hec per prescientie clipeum munimur. Ecce enim dicit: cum audieritis prelia et seditiones, nolite terreri.

Sancti Martini.

Folio .1. Homo quidem peregre: ut supra.

Sancti Bricii Episcopi.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum,

brum, ut qui ingrediuntur lumen uideant. De seipso dominus hec loquitur ostendens, et si supra dixerit, nullum generationi nequam nisi signum Ione dandum, nequaquam tamen lucis sue claritatem fidelibus occultandam. Ipse quippe lucernam accendit, qui testam humane nature flamma sue diuinitatis impleuit.

Eadmundi Regis et Martiris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis. Si quis uult post me uenire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Quia dominus ac redemptor noster nouus homo uenit in mundum, noua precepta edidit mundo. Uite enim nostre ueteri in uiciis enutrite, contrarietate opposuit nouitatis sue. Qvid enim uetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? [11]

Cecilie Virginis.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. *folio* .1. Simile est regnum celorum decem uirginibus.

Sancti Clementis Martiris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam peregre proficiscens uocauit seruos suos, et tradit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta: alii autem duo: alii uero unum. Homo iste pater familias *h*aut dubium quin Christus sit, qui ad patrem post resurrectionem uictor ascendens uocatis apostolis doctrinam Euangelicam tradidit, non pro largitate et parcitate alteri plus et alteri minus tribuens, sed pro accipientium uiribus, quomodo et apostolus, eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit.

Maximi

Maximi Episcopi.

Homo quidam nobilis : *folio* .I. Require in Natali Sancti Fursei.

In Natali Sancti Andree Apostoli.

In illo tempore : Ambulans Ihesus iuxta mare Galilee uidit duos fratres, Symonem, qui uocatur Petrus, et Andream fratrem eius. Audistis, fratres karissimi, quia ad unius iussionis uocem Petrus et Andreas relictis retibus secuti sunt redemptorem. Nulla uero hunc facere adhuc miracula uiderant, nichil ab eo de premio eterne retributionis audierant, et tamen ad unum domini preceptum hoc, quod possidere uidebantur obliti sunt.

Sancti Nicholai.

Homo quidam peregre, &c. ut supra. *folio* .I.

Sauini Episcopi et Martiris.

In illo tempore : Dixit Ihesus discipulis suis : Nolite arbitrare quia ueni mittere pacem in terram. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Supra dixerat quod dico uobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis, predicate super tecta : nunc infert quid post predicationem sequatur ad fidem Christi.

Victorici, Fustiani, Gentiani.

In illo tempore : Dixit Ihesus discipulis suis. Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe. Ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Contraria sunt ista animalia, ut alia ab aliis deuorentur. Sed bonus pastor lupos gregi suo timere non nouit, ideoque isti discipuli

non

non in predam, sed ad gratiam diriguntur, sollicitudo enim pastoris boni efficit, ut lupi in agnos audire nichil possint.

Sancti Michaei.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Nichil opertum quod non reuelabitur, et occultum quod non scietur. In presenti seculo multorum uitia nesciuntur, sed de futuro tempore scribitur, quando iudicabit dominus occulta hominum, et illuminabit latebras tenebrarum et manifesta faciet consilia cordum. Hic est sensus. Nolite timere persecutorum seuiciam et blasphemancium rabiem, quia ueniet dies iudicij, in quo et uestra uirtus, et eorum nequicia demonstrabitur.

Sancti Thome Apostoli.

In illo tempore: Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didimus, non erat cum eis quando uenit Ihesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, uidimus dominum. Uidebat tangebatque hominem et confitebatur deum quem non uidebat. Sed propter hoc, quod uidebat atque tangebat illud iam remota dubitacione credebat. Dicit ei Ihesus. Quia uidisti me credidisti. Non ait, tetigisti me. Sed, uidisti me, quoniam generabilis quodammodo sensus est uisus.

In Dedicacione Ecclesie.

Bonus homo de bono thesauro, &c. ut supra de sancto Ieronimo.

Unius Confessoris.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Uigilate, quia nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Hic aperte ostenditur, quare dominus diem iudicij superius ignorari dicat, scilicet ut unus quisque seruorum illius ita uigilet quasi altera die suspectus sit iudicari.

De

De Uírginibus. De Sancta Benedicta.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, et pre gaudio illius uadit et uendit uniuersa que habet et emit agrum illum. Celorum regnum, fratres karissimi, iccirco rebus simile dicitur, ut ex hiis que animus nouit, surgat ad incognita que non nouit, quatinus exemplo uisibilium se ad inuisibilia rapiat, et per ea que usu didicit, quasi confricatus ui calescat, ut per hoc quod scit, notum diligere discat et incognita amare.

Brígíte Uírgínís.

In illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum celorum decem uirginibus que accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso et sponse. Que sunt decem uirgines quarum sunt quinque prudentes et quinque fatue, non facile indagari potest. Uerumptamen secundum ea que continet ipsa lectio, quam caritati uestre eciam hodie uolui recitare, quantum mihi dominus intellectum dignatur, non mihi uidetur ista parabola, uel similitudo, ad eas solas pertinere, que propria et excellenciore sanctitate uirgines in ecclesia nominantur, quas eciam usitaciore uocabulo sanctimoniales appellare consueuimus, sed nisi fallor hec similitudo ad uniuersam ecclesiam pertinet, quamuis et si illas solas intelligerimus que sanctimoniales uocantur, numquid decem sunt.

In Commemoracíone Relíquíarum.

In illo tempore: Sedente Ihesus super montem Oliuet, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes. Dic nobis quando hec erunt, et quid signum aduentus tui et consummaciones seculi. Sedet Ihesus in montem Oliueti, ubi uerum lumen nascebatur. Et accedunt ad

eum

eum discipuli secreto, qui misteria et futurorum reuelacionem scire cupiebant, et interrogant tria, quo tempore Ierosalem destruenda, quo uenturus Christus, quo comsummatio seculi sit futura.

Incipit Regula Sancti Augustini Episcopi de uita Canonicorum, in die Lune.

Hec sunt que ut obseruetis precipimus in monasterio constituti. Primum propter quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo; et sit uobis anima una, et cor unum in deo, ut non dicatis aliquid proprium, sed sint uobis omnia communia. Et distribuatur unicuique uestrum a preposito uestro uictus, et tegumentum, non equaliter omnibus, quia non equaliter ualetis omnes, sed pocius uni[cui]que sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitur in actibus apostolorum, quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat.

De Pauperibus Conuersis, in die Martis.

Quia aliquid habent in seculo quando ingressi sunt monasterium, libenter illud uelint esse commune. Qui *autem* non habent non ea querant in monasterio, que nec foris habere potuerunt; sed tamen infirmitati eorum quod opus est tribuatur, eciam si paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tantum non ideo putent se esse felices, quia inuenerunt uictum et tegumentum, quale foris inuenire non poterant, nec erigant ceruicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, et terrena uana non querant, ne incipiant esse monasteria diuitibus utilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur.

De Diuitibus Conuersis. Feria iiij.

Sed rursus eciam qui aliquid esse uidebantur in seculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate uenerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur si communi uite de suis facultatibus aliquid contulerint, nec de suis diuicijs magis superbiant, quia eas monasterio parciuntur, quam si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quecunque sunt iniqua in malis operibus exercentur ut fiant, superbia uero eciam bonis operibus insidiatur ut pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuicias contempnendo quam fuerat possidendo. Omnes ergo unanimiter et concorditer uiuite, et honorate in uobis deum inuicem, cuius templa facti estis. Oracionibus instate, horis et temporibus constitutis.

Non licet in oratorio aliquid agere nisi orare. Feria v.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quid est factum; unde et nomen accepit. Ut si forte aliqui eciam preter horas constitutas, si eis uacat et orare uoluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerunt. Psalmis ympnis cum oratis deum, hoc uersetur in corde quod profertur in uoce. Et nolite cantare, nisi quod legistis esse cantandum. Quod autem ita scriptum est, ut non cantetur, non cantetur.

De Ieiuniis et Abstinencia esce.

Carnem uestram domate ieiuniis et abstinencia esce quantum ualitudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum egrotat.

De

De Silencio ad Mensam.

Cum acceditis ad mensam donec inde surgatis, quod uobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contencionibus audite. Nec sole uobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant uerbum dei.

De infirmis ex pristina consuetudine. Feria vi.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractentur in uictu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum uideri eis, quos fecit aliqua consuetudo forciores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi ; sed sibi pocius gratulentur, quia ualent quod non ualent illi.

De delicatis conuersis.

Et si eis qui uenerunt ex moribus delicacioribus ad monasterium aliquid alimentorum, uestimentorum, operimentorum datur, quod aliis forcioribus et ideo felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur quantum de sua seculari *uita* illi ad istam descenderint quamuis usque ad aliorum qui sunt corpore firmiores frugalitatem peruenire nequeuerunt. Nec debent uelle omnes quod paucos uident amplius accipere, non quia honorantur, sed quia tolerantur, ne contingat detestanda peruersitas, ut in monasterio ubi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

De conualescentibus ab infirmitate. Sabbato.

Sane quemadmodum egrotantes necesse habent minus accipere ne grauentur, ita et post egritudinem sic tractandi sunt, ut cicius recreentur, eciam si de humilima seculi paupertate uenerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior egritudo, quod diuitibus anterior consuetudo.

suetudo. Sed cum uires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, que famulos dei tanto amplius decet, quanto minus indigent. Nec cibi eos teneat uoluptas, iam uegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos estiment delicati diciores, qui in sustinenda parcitate fuerint forciores. Melius est enim minus egere quam plus habere.

De habitu, statu, et omni corporis motu.

Non sit notabilis habitus uester, nec affectetis uestibus placere, sed moribus. Quando proceditis simul ambulate. Cum ueneritis quo itis, simul state. In incessu, statu, *habitu*, *et* in omnibus motibus uestris nichil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod uestram decet sanctitatem.

Et aliorum plurimorum sanctorum martirum confessorum atque uirginum.

Precioca est in conspectu domini mors sanctorum eius. Isti et omnes sancti, et electi dei intercedant et orent pro nobis peccatoribus ad dominum deum nostrum. Vt nos mereamur ab eo adiuuari et saluari, qui in trinitate perfecta uiuit et regnat deus, per omnia secula seculorum. Amen. Deus in adiutorium. Domine ad adiuuandum. iij. Gloria patri et filio. Kyrieleyson. Christe eleyson. Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Set libera. Respice domine in seruos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum. Et sit splendor domini dei nostri super nos et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige. Oremus. Dirigire, et sanctificare, et regere dignare Domine sancte, pater omnipotens, eterne deus, hodie et cotidie, corda et corpora nostra in lege tua sancta, et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in eternum, te auxiliante, semper salui, sani, et liberi esse mereamur. *Per Christum dominum nostrum.* Amen. Adiutorium nostrum in nomine domini. Qui fecit celum et terram.

Pro episcopo defuncto.

Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum pontificali fecisti dignitate censeri, presta quesumus, ut quorum uicem ad horam gerebat in terris, eorum perpetuo consortio letetur in celis. Per Christum. Amen.

APPENDIX.

APPENDIX.

APPENDIX.

THE following account of the order and method of proceeding in a monastic Chapter is taken from Martene's learned work, *De Antiquis Monachorum Ritibus*, lib. i. cap. v. It is inserted here because it will fully explain to such readers as may not have access to other sources of information, the manner in which the Martyrology and Book of Obits were used in the devotional exercises of the Convent.

"I. Capitulum vocamus eam Monachorum congregationem, quæ mane fit in Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii, Sacræque Regulæ lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem distributionemque, a capitibus seu superioribus cœnobiorum qui simul cum aliis conveniebant, ut volunt nonnulli, seu quod verius crediderim, a Regulæ *Capitulo* quod in ea legebatur, ita appellatam; ex quo factum est, ut tam ipsa congregatio, quam locus ubi fieret, ac res quæ in ea tractarentur *Capitulum* nuncuparentur: qua de re fuse satis Haef. lib. 8. 1. disq. 1.

"II. Tempus congregandi Capituli duplex apud nostros [*sc.* Benedictinos] reperio; post Primam scilicet, et post Tertiam. Primum assignat antiquissimus ordo conversationis monasticæ c. 3. quod suæ ad Canonicos Regulæ inseruit Chrodegangus Mettensis Episcopus c. 18. Similiter Antiquæ consuetudines S. Benedicti Anianensis Abbatis tom. 4. Analectorum[a], de quo etiam Ardo discipulus ejus in vita illius n. 52. sæc. 4. Instituit ut 'expleta Prima in unum congregati solvant capitulum.' Item antiquum S. Justinæ cæremoniale p. 1. c. 16. præscribens ut Prima dicta, et Missa matutinali, fiat capitulum; denique Bursfeldenses in cæremoniali dist. 1. c. 4. E contra tempus alterum notatur in vita S. Geremari Abbatis Flaviacensis n. 15. sæc. 2. 'Tertia vero hora diei post lectionis disputationem in capitulo ante pedes omnium prostratus, &c.' et

[a] Mabillon, Analecta; Novæ edit. p. 152.—Ed.

et apud Adrevaldum in l. Mir. S. Benedicti in Gallia c. 28. sæc. 2. 'Residentibus hora diei tertia, post lectionem capituli regularis Sanctorumque memoriam, &c.' At S. Dunstanus in Regulari concordia Monachorum Sanctimonialiumque utrumque tempus decernit c. 1. et 5. scilicet æstate post Primam, hyeme post Tertiam: Dunstano subscribit S. Lantfrancus in statutis c. 1. §. 1. et 5. Idemque videre est in antiquis S. Germani a Pratis consuet. et in lib. Usuum Cisterciens. c. 70. et 74. et quidem ut mihi videtur, omnino ad mentem S. Benedicti, nam cum ideo inter alia convocetur capitulum, ut in eo fiat laboris distributio, et ex Regulæ Benedictinæ cap. 48. a Pascha ad Cal. Octob. post Primam, et a prædictis Calendis post Tertiam laborandum sit, recte omnino æstate post Primam, hyeme post Tertiam capitulum instituitur.

"III. Locus capituli erat claustro contiguus ad Orientem: 'In claustris conventuum,' infit Petrus Blesensis, ser. 25., 'quatuor loca cum propriis deputantur officiis: In latere claustri Occidentali est Scholaris subjectio; in eo quod contingit ecclesiam lectio moralis; in ipsa ecclesia meditatio spiritualis; ad *orientem in capitulo* correctio materialis:' Hinc ordo antiquissimus conversationis Monast. rationem ad capitulum veniendi describens. 'Veniant,' inquit *c.* 3., 'omnes ad capitulum, et conversi ad orientem salutent crucem,' et antiquum Affligeniensis Monasterii Rituale part. 1. c. 3. 'Quilibet in medio capituli inclinet se profunde ad orientem' et revera in omnibus antiquis nostræ congregationis Monasteriis, in quibus mansi, ita esse perspexi. In Fontanellensi Monasterio S. Ansegisus 'Jussit condere domum juxta absidam Basilicæ sancti Petri ad plagam Septentrionalem, quam conventus seu curiæ, quæ græce Beleuterion dicitur, appellari placuit propter quod consilium in ea de qualibet re perquirentes convenire fratres soliti sint,' ut habetur in ejus vit. n. 9. sæc. 4. part. 1. p. 635. At in antiqua Monasterii S. Galli delineatione nullus est capituli locus, sed omnes capitulares actus in ipso claustro tractabantur, in ea parte scilicet quæ respiciebat ad Septentrionem, eratque ecclesiæ continua.

"IV. Porro congregabatur capitulum ad signum squillæ seu campanulæ ab ipso Præposito sive Priore pulsatum, ut discimus ex concordia Dunstani c. 1. 'Facto signo a Priore convenientes ad capitulum, &c.' clarius ex statutis Lantfranci c. 1. §. 1. 'Tunc jubente Abbate, Prior sonet signum minimum, deinde omnes eant in capitulum.' Ex consuetudinibus Germaniæ MS. nu. 4. 'Capitulum Prior minimo signo et collationem, sed breviter percusso annuntiet;' ex lib. Usuum Beccensium: 'Omnibus festis diebus dicta Prima, et facto parvo post psalmos familiares spatio, sonat Prior minus signum ad conveniendum in capitulo tamdiu donec *Miserere mei*, dici possit.' Apud Cistercienses tamen capituli signum dabat ipse Sacrista: 'Post Missam matutinalem,' inquiunt *c.* 70. 'in lib. Usuum Sacrista pulset signum ad convocandum fratres in capitulum.'

"V.

"V. Vocati autem ad capitulum conveniebant non quidem tumultuatim; sed, ut ait Lantfrancus in statutis c. 1. §. 1. 'Duo et duo sicut sunt Priores; Majores primo, postea infantes;' et quidem Priore *ipso præcedente* ex concordia Dunstani c. 1.; Recitantes interim aliquas preces, ut decernunt Cassinenses in declarationibus ad cap. 17. his verbis: 'Secundum antiquam nostram consuetudinem dicta Prima immediate processionaliter eundo de Ecclesia commemorationem facimus de fratribus defunctis, familiaribus, et benefactoribus nostris, cum psalmo *De profundis*, et oratione *Deus veniæ largitor*, &c. pergimus in capitulum.'

"VI. Intrantes capitulum, principalem primo locum, deinde seipsos invicem salutabant, tum sedebant: 'Convenientes ad capitulum,' inquit Dunstanus in conc. c. 1., 'ipso præcedente, versa facie ad orientem salutent crucem, et ceteris undique fratribus se vultu inclinato humilient.' Similiter antiquus ordo conversationis Monasticæ c. 3. 'Veniant omnes ad capitulum, et conversi ad orientem salutent crucem, et cæteris fratribus se undique humilient;' et antiquum Affligeniensis Monasterii Rituale pr. part. c. 3. 'Venientes autem ad capitulum antequam ad suas sessiones eant, quilibet in medio capituli inclinat se profunde ad orientem.' Idem observabant Carthusienses, ut patet ex antiquis eorum statutis part 1. c. 36. et part 2. c. 12. 'Intrantes et exeuntes de capitulo ad crucem nudatis capitibus inclinamus;' idem habent in nova coll. stat. 2. part. cap. 8. n. 1. Ubi obiter observabis antiquum morem crucis in medio capituli collocandæ: Cisterciens vero hac de re sic statuunt lib. Usuum cap. 70. 'Fratres autem audito signo conveniant in capitulum, inclinantes ante sedes suas, et cum sederint, humilient se mutuo; veniente vero Abbate, vel quolibet alio, qui capitulum tenere debet, ei omnes assurgant, inclinantes tantum Abbati transeunti, eoque sedente resideant: Sed ille qui juxta Abbatem sessurus est, humiliet se profunde de loco suo versus Abbatem, nec tamen super genua vel articulos; et sic resideat.'

"VII. Congregati omnes atque in unum sedentes ad actus capitulares procedebant, ex quibus tres dumtaxat memorat Radulphus Tungrensis in lib. de Observantia Canonum prop. 14. 'In officio autem capituli quod fit post Primam fiunt tria: Primo memoria SS. in recitatione Martyrologii cum versu *Pretiosa*, et capitulo *Sancta Maria*. Secundo memoria defunctorum in anniversariis recitandis cum *Miserere mei Deus*, et collectis. Tertio quia tunc ad labores diurnos præparari debemus, addunt preces congruentes dicendo ter: *Deus in adjutorium*, &c.'

"VIII. Sed multo plures capitulares actus jure recensere possumus. 1. Lectionem Martyrologii cum collecta sequenti. 2. Divini invocationem auxilii ad reliquos diei actus per ℣. *Deus in adjutorium*, &c. 3. Lectionem Regulæ aut alicujus homiliæ. 4. Commemorationem defunctorum et benefactorum per Lectionem Necrologii. 5. Commemorationem item benefactorum viventium cum precibus. 6. Officialium institu-

 tionem.

tionem. 7. Culparum correctionem. 8. Laboris injunctionem. De quibus singillatim et breviter pro modulo nostro.

"IX. Primus itaque actus capituli assignatur Lectio Martyrologii, Aquisgranensi synodo statuente can. 66. 'Ut ad capitulum *primitus* Martyrologium legatur;' quæ tamen lectio antea in usu fuisse, docet antiquus ordo conversationis Monasticæ, patetque ex vita Sancti Wandonis Abbatis Fontinellensis, qui suo Monasterio legitur dedisse 'codicem in quo contiuetur Regula S. Benedicti, et S. Columbani, et Martyrologium:' quia nimirum una cum Regula legebatur mane in capitulo, Spicileg. Tom. 3[b].

"X. Circa hanc Martyrologii lectionem observandum: Primo quod lector in medio capituli constitutus benedictionem postulabat ad legendum: 'Et petat benedictionem lector, et recitentur nomina Sanctorum,' inquit Ordo conversationis Monasticæ, ann. 1659, Neapoli editus; Et liber Usuum Cisterciensium c. 70. 'Lector vero veniens ante analogium aperiat librum, et inclinet se ad benedictionem.' Et Bursfeldenses in ordin. c. 11. 'Procedat in medium qui lecturus est, ad benedictionem humiliter se inclinans; qua data resideant; sed nemo ante præsidentem.' Hinc etiam in antiquo Cassinensi Breviario MS. a nobis jam toties citato, precibus, quæ Martyrologii lectionem subsequi solent, præmittitur ista Benedictio; 'Dies et actus nostros in sua pace disponat omnipotens Dominus;' quæ in MS. S. Dionysii consuetudinibus incipit sic: '*In viam mandatorum*, estque a puero petenda.' Et tamen ex antiquis Germaniæ consuetudinibus MS. ad solum Prioris Sacerdotis nutum legi debet Martyrologium: 'Facto signo itur ad capitulum, et sedentibus cunctis, Prior Sacerdos dat lectori signum ut legat;' sed neque in Concordia Dunstani, neque in Decretis Lantfranci, neque in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis ulla fit mentio petendæ benedictionis ad lectionem Martyrologii.

"XI. Secundo eos semper annunciabant Sanctos, quorum natalis dies in diem sequentem incideret, sive ut habet antiquus ordo conversationis Monasticæ c. 3. 'quorum festa crastina dies excipiet;' quibus diem mensis et lunæ præmittebant: 'Pulsabitur ad capitulum,' inquiunt MS. consuetudines S. Germani a Patris, 'et legentur calendæ et pronunciabitur qualis sit luna, et quota fuerit, et annunciabuntur festivitates Sanctorum.' Et cæremoniale Bursfeldensium c. 11. 'Lector . . . . . legat lectionem de Martyrologio, præmittens quotam mensis et lunæ juxta computationem Kalendarii, et pronuntiatur non præsens dies, sed semper crastinus.'

"XII. Tertio 'In illa lectione non dicet *Tu autem;* sed aliorum plurimorum Sanctorum' addunt consuetudines S. Germani a Pratis: Ita nimirum lectionem Martyrologii concludebant. De hac clausula ita in Chronico chronicor. fol. 166. 'Usuardus qui

[b] In the New Edit. tom. ii. p. 275, Chron. Fontinellen. cap. xiii.—Ed.

qui jussu Caroli Magni compilavit Martyrologium, reperit singulis diebus plusquam trecenta festa concurrere; ideo statutum fuit ut diceretur: et aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, &c.' Tunceque, ut ait liber Usuum Cisterciens. c. 70, 'Surgant fratres, et vertant se ad orientem dicentes versum qui in collectaneo habetur, id est *Pretiosa in conspectu Domini*, Sacerdote hebdomadario incipiente;' quem sequebatur dicenda a Sacerdote oratio: 'Ipsi et omnes Sancti Dei intercedant pro nobis, ut mereamur a Deo adjuvari, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum *Amen*.' Cui quidem orationi religionis ac devotionis ergo in Beatissimam Dei Genitricem præmissum est a recentioribus Sacratissimum *B. Mariæ* nomen hoc modo: *Sancta Maria et omnes Sancti, &c.* Neque enim reperitur in antiquo ordine convers. Monasticæ, neque apud Chrodegangum in Regula Canon. neque in MS. consuet. S. Germani a Pratis, neque cæremoniali Bursfeldensium: Hæc tamen additio non ita recentioris est institutionis, nam extat in MS. Breviario Cassinensi Institutionis Oratorii, in quo utrumque dicendi modum, diversis tamen in locis reperi[c].

"XIII. Hæc oratio, ut diximus, a Sacerdote dicebatur: in ordine tamen Monastico apud Hæftenum, et in MS. S. Germani a Pratis a *Priore* dici præscribitur, pro quo in editione Neapolitana habetur *Presbyter*. Hæc sunt præcipue quæ Martyrologii lectionem spectant saltem pro diebus quotidianis.

"XIV. Secundus Capitularis actus erat divini invocatio auxilii ad omnes diurnos actus per ℣. *Deus in adjutorium*, precesque reliquas, quas etiam nunc in fine Primæ recitamus; de quibus observanda sunt nonnulla.

"XV. Primo hujusmodi preces non erant simplex præparatio ad laborem manuum, ut existimant forte nonnulli; sed ad omnes diurnos actus respiciebant; ut satis indicant ista collectæ verba: *Dirigere et sanctificare . . . . hodie corda*, &c. Ad laborem vero manuum in fine capituli, post emendatas culpas, iterum dicebatur tertio ℣. *Deus in adjutorium meum*.

"XVI. Secundo hic versus nocturno silentio finem imponebat, ut discimus ex ordine Monasticæ convers. Neapoli edito, ubi post orationem: 'Ipsi et omnes Sancti, *sequitur:* Deinde dicatur versus ad solvendum silentium, id est *Deus in adjutorium meum intende*, &c.' et de hoc versu intelligendum puto locum illum ex consuetudinibus a Benedicto Abbate Anianensi suis in Monasteriis institutis tom. 4. Anal. 'Et nocturnum silentium semper ab eis custodiri sive intus, sive foris sint, quousque in capitulo

[c] It will be seen from p. 240, where this versicle occurs, that the name *Sancta Maria* was not added to the prayer *Isti et omnes Sancti*, &c. in the Convent of the Holy Trinity; nor in the Monastery of St. Thomas the Martyr, as appears from the extract given, p. xc. of the Introduction to this volume.—Ed.

capitulo versum dicant.' Ubi etiam obiter notandum est olim nocturni silentii finem alicujus signi sonitu indicatum fuisse, ut discimus ex Adelerio Monacho in Appendice ad lib. Mirac. S. Benedicti in Gallia ab Adrevaldo c. 40. sæc. 2. Bened. p. 292. 'ut vero se lux diei terris clara infudit, fratribus somno experrectis, idem sonitu fusilis tabulæ, olim reserandæ locutionis gratia compactæ, Abbatem Theotbertum cum reliquis adsciscens,' &c.

"XVII. Tertio versus ille: *Deus in adjutorium meum*, ter a Priore vel Sacerdote ex integro dicebatur; terque item a congregatione repetebatur, ut patet ex antiquo Ordine conversationis monasticæ: 'Dicatur versus ad solvendum silentium, id est *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina* tribus vicibus, Priore incipiente, cæteris autem respondentibus id ipsum tertio.' Extat hac de re capitulum undecimum Monachorum Sangallensium in hæc verba sæc. 4. Bened. part. 1. pag. 741. 'Ut versus ad capitulum, id est *Deus in adjutorium meum* a Presbytero ter, terque a congregatione repetitus dicatur, et dicta *gloria*, post hoc non adjungant *alleluja*:' Accedit cæremoniale Bursfeldensium; in quo præscribitur c. 11. ut a Sacerdote 'subsequatur versus *Deus in adjutorium meum intende*, quem tertio dicit ex integro, et toties repetitur a conventu, addita post ultimam repetitionem *Gloria Patri*.' Dunstanus vero non ita clare rem enuntiat, cum decernit in conc. c. 1. ut prædictus versus 'tertio repetatur ab omnibus Priore incipiente.' In MSS. S. Dionysii consuetudinibus si dies privatus non fuerit, hic versus præcipitur omitti.

"XVIII. Quarto ad Litaniam seu *Kyrie eleison* flectebant genua, surgebantque ad orationis Dominicæ conclusionem: Ita in antiquis Germaniæ consuetudinibus MS. quod confirmat capitulum 12. Monachorum Sangallensium, loco cit. 'Ut *Kyrie eleison* oraturi in capitulo, utrumque genu flectentes consona voce tribus tantum vicibus dicant, id est *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*. Similiter in refectorio sed sine genuflectione;' Et antea antiquus Ordo conversationis monasticæ: 'Et flectentes genua orent, et dicat Prior *Et ne nos inducas in tentantionem*, ceteri respondeant *Sed libera;* surgentes iterum dicant versum pariter *Respice in servos tuos* usque in finem psalmi, subjungentes *Gloria Patri;*' Similiter concordia Dunstani c. 1. 'Et flectentes genua si tempus dictaverit: dicente vero Priore *Et ne nos inducas* surgant omnes, erectoque vultu dicant *Respice in servos*, subjungentes *Gloria* humiliato capite;' Liber Usuum Cisterciensium c. 70. 'Prosternantur super sedes superiores, aut incurventur super genua secundum tempus, dicentes simul *Kyrie eleison* . . . . . et quando Sacerdos dixerit: *Et ne nos inducat in tentationem* erigantur, donec Sacerdos dicat: *Dirigere et sanctificare*, et tunc incurventur.' Denique cæremoniale Bursfeld: 'Deinde letaniam scilicet *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison:* alternatim per choros dicant, et consequentur prostrati aut pro temporis qualitate incurvati sub silentio

Pater

Pater noster usque ad *et ne nos*, quam partem postquam erectis ad sonitum Præsidentis fratribus Sacerdos dixerit, et conventus respondeat: *Sed libera nos a malo*, subjungat Sacerdos versum: *Respice*,' &c[d].

"XIX. Quinto denique oratio *Dirigere* ita effertur in antiquo ordine conversationis Monasticæ edit. Neapol. *Dirigere et sanctificare digneris Domine Jesu Christe fili Dei vivi hodie corda et corpora nostra in via tua, et in operibus manuum tuarum, ut hic et in æternum per te salvi esse mereamur Salvator mundi, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum Amen.* In antiquo autem Breviario Monasterii Cassinensis Institutionis Oratorii ita: *Dirigere et sanctificare, et custodire dignare Dominus Deus omnipotens Rex cœli et terræ hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in æternum per te salvi esse mereamur, qui vivis et regnas.* Brevius in Breviario MS. S. Germani a Pratis: *Dirigere et sanctificare dignare Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus hodie corda et corpora nostra in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in æternum te auxiliante semper salvi esse mereamur.* Hæc oratio ex antiquo Ordine conversationis monast. a Priore est dicenda; ex lib. usuum Cisterc. a Sacerdote; ad quam ex eodem libro, et cærem. Bursfeld. semper incurvari debent omnes. Ea finita, Prior ex eodem ordine monastico subjungebat *Adjutorium nostrum in nomine Domini;* ceteri respondebant, *Qui fecit cœlum et terram.*

"XX. Tertius capitularis actus prædictas preces agebat, post quas immediate sequebatur lectio Regulæ de qua satis multa in Commentario ad Regulæ c. 66. Ad hanc sedebant omnes, ita tamen ut prius assideret, qui capitulo præerat; in cujus fine subjungebat Lector: *Tu autem Domine;* sed nullam initio videtur petiisse benedictionem. Prælectum Regulæ capitulum exponebat Prior, aut cui jusserat ille, ut genuinus ejus sensus omnibus innotesceret.

"XXI. Dominicis festisque diebus vice Regulæ aliqua homilia ex Patribus legebatur, unde etiam in MSS. cod. una cum Martyrologio reperitur Regula, et initium Evangeliorum totius anni, cum quibusdam homiliæ lineis ad hunc finem exaratis[e], ut videre est in MS. codice S. Germani a Patris notato N. ubi hujusmodi Evangeliis hæc præmittitur inscriptio: 'In diebus Dominicis, festis semiduplicibus, et supra feriis 4. temporum Adventus 4. feria et 6. ac vigiliis Nativitatis, Pentecostes, feriis quoque octavarum Paschæ, necnon Pentecostes, post lectionem Martyrologii legitur de Evangelio, cæteris autem diebus de Regula.' Vid. comm.

"XXII.

[d] The collect *Dirigere* does not appear to have been used in the Chapter of St. Thomas's. See Introduction, p. xc. But it was in use in Christ Church, and will be found in the summary of the prayers used in Chapter, which is given p. 240 of the present volume.—Ed.

[e] The reader will observe that this is also the case in the present volume.—Ed.

"XXII. Lectionem Regulæ vel homiliæ excipit in MS. Sancti Germani a Pratis consuetudinibus, et cerem. Bursf. lectio Necrologii, cujus tamen nulla fit mentio neque in antiquo ordine Monastico, neque in concordia Dunstani, neque in statutis Lantfranci, neque in MS. consuetudinibus Germaniæ: nihilominus videtur Necrologiorum usus satis antiquus; nam Regis Oswaldi depositionis diem annotatum fuisse in codice defunctorum legimus apud Bedam l. 4. hist. Angl. c. 14, quem etiam *Annalem* vocat; et ante Bedam Bertigrannus episcopus Cœnomanensis, in testamento suo, illustris Parisiensis S. Vincentii monasterii abbatem rogat, *ut nomem meum*, inquit, *in libro vitæ recitetur*, apud Mabillonium tom. 3. Analectorum pag. 121. Jam vero nonnullæ hac de lectione minutiæ sunt observandæ.

"XXIII. Primo. Ante quoscunque adnunciabatur Abbatum obitus, si ea die contigisset: Deinde Monachorum, tum externorum qui speciali aliquo beneficio in Necrologio monasterii meruissent inscribi, quamvis in nonnullis promiscue insererentur Necrologiis.

"XXIV. Secundo, inter Abbates et Monachos aliosque hoc erat discriminis, quod anniversaria Monachorum dies, per verbum *obiit* annunciaretur; Abbatum vero hoc modo *Depositio Domini N. Abbatis;* saltem ita in nostro Parisiensi S. Germani a Pratis Necrologio.

"XXV. Tertio, ad nomen Abbatis præmittebatur ubique vox *Domini*, non item ad monachorum, qui puro ac nudo nomine recitabantur[f].

"XXVI. Quarto, adjiciebatur gradus et ordo personarum; Abbas, Monachus, Præpositus, Cantor, Sacrista, Episcopus, Sacerdos, Imperator, Rex, Regina, Miles, &c.

"XXVII. Quinto, Monachis monasterii inserebantur aliorum etiam cœnobiorum ascetæ cum quibus societatem habebant, aut omnes, aut aliqui tantum, quibus ex conventione ita concessum erat. Sic V. Beda ad Eadfridum Episcopum fratresque Lindisfarnenses scribens rogat in præf. d. vit. S. Cutberti n. 2. ut 'me defuncto pro redemtione animæ meæ quasi pro familiaris et vernaculi vestri orare, et missas facere, et *Nomen* meum inter vestra scribere dignemini.' Cudbertus Abbas Wiremutensis in epist. ad Lullum Archiepiscopum, quæ inter Bonifacii epistolas 95. 'nomina fratrum quæ ad nos misistis, cum nominibus hujus Monasterii fratrum dormientium in Christo scripta continentur.' Et in litteris Societatis inter Sabulense et Solemniacense Monasterium, quæ extant sæc. 2. p. 1093.: 'Nomina vero defunctorum fratrum Stabulensis cœnobii Martyrologio Solemniacensi conscripta per singulos dies cum suorum fratrum anniversariis recitabuntur.'

"XXVIII.

[f] This and the preceding rule are not observed in the present Necrology, where the anniversaries of the Priors are entered under the word *obiit*, and without the title *Dominus*.—Ed.

XXVIII. Sexto. In Necrologiis Monachorum inserebantur etiam Sancti ab Ecclesia ut tales recogniti; nonnulla hac de re exempla profert Haefrenus l. 8. t. 1. disp. 4. et in nostro S. Germani a Pratis Necrologio Kalend. Januarii reperitur depositio Domini Odilonis Abbatis.

"XXIX. Septimo. Cum benefactorum nomina recitabantur, collata etiam ab his Monasterio proferebantur beneficia precesque pro ipsis dicendæ: Extat hujus rei exemplum in Necrologio S. Germani a Pratis: 'Pridie idus Januarii obiit . . . . Hugo Marescallus, anniversarium cujus et amicorum suorum, et Episcopi Johannis Belmacensis Abbas Hugo totumque capitulum singulis annis perpetuum faciendum concesserunt: Per Odonem enim clericum nostrum prædict. Hugonis filium datum est Ecclesiæ Beati Germani lignum Dominicæ crucis. In die vero obitus prænominati Odonis anniversarius iste annis singulis celebrabitur.' Idem patet ex litteris Richardi Archiepiscopi et totius conventus ecclesiæ Cantuariensis ad Ludovicum Francor. Regem, in quibus grates prædicto Regi referunt, suffragia sua, ac preces perplurimas concedunt, atque promittunt, 'ut autem nulla oblivione deleri debeant in posterum hæc omnia, in Martyrologio nostro, *inquiunt*, scribi fecimus, et singulis annis die recordationis vestræ relegenda statuimus.' Extant apud Reyuerium de Apost. Bened. in Angl. appendice 3. p. 254.

"XXX. Octavo. Unius et ejusdem defuncti per plures dies commemoratio aliquando fiebat, cujus rei exemplum nobis suppeditat Hugonis 3. Abbatis S. Germani a Protis, qui anno 1182. obiit, quædam charta fundationis seu institutionis sui anniversarii, in qua inter alia hæc decernit: 'Præter hæc etiam ut per illos sex dies qui sunt inter primum anniversarii diem et octavum, quotidiana de nobis fiat in capitulo memoria, et ibi nos conventus sicut in prima die et octava specialiter et nominatim absolvat.'

"XXXI. Nono. Ad majorem rei firmitatem et securitatem qui anniversaria sibi instituebant atque fundabant, chartas hujusmodi fundationis in capitulo legi quotannis aliquando volebant, ut patet ex eadem prædicti Hugonis charta, in cujus fine ita habetur: 'Porro ut hæc omnia successorum nostrorum memoriæ facilius semper occurrant, et fidelius imprimantur; præcipiendo sub præscripta statuimus conditione, quatenus hujus nostræ institutionis pagina, singulis annis in vigilia anniversarii nostri post lectionem capituli coram omnibus in conventu legatur.'

"XXXII. Decimo. Præter speciales preces quæ nonnullis ex aliqua fundatione erant attributæ, fiebant et aliæ quotidie pro defunctis, quas exeuntes a capitulo recitabant: 'Surgentes a capitulo,' inquit Dunstanus in concordia, 'canant quinque psalmos pro defunctis, *Verba mea: Domine ne in furore: Dilexi quoniam. Credidi: De profundis:*' Eosdem psalmos assignant MS. consuetudines Germaniæ, quos etiam post Matutinos dici præscribunt consuet. S. Dionysii in Francia.

"XXXII.

XXXII. Undecimo. Cistercienses lib. us. c. 70. nullam videntur fecisse defunctorum specialem mentionem, sed generalem tantummodo; nam lecta Regula, et tabella officialium, lector consequenter addebat: 'Commemoratio omnium fratrum et familiarium defunctorum ordinis nostri:' deinde qui capitulum tenebat, subjungebat, *Requiescant in pace.* Respondebant *Amen.* Si tamen absolvendus aliquis erat defunctus, exposita sententia, sive facto sermone, ad cantoris admonitionem absolvebatur. Similiter si ultimus tricenarii dies commemorandus esset, hunc cantor commemorabat. Ita etiam si breve recens defuncti legendum foret, ab eodem legebatur.

"XXIV. Quintum capituli actum esse diximus commemorationem benefactorum viventium cum precibus pro beneficiis ab ipsis collatis; quod colligitur ex libello supplici Monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum Imperatorem, in cujus n. 1. sæc. 4. Ben. part. p. 260. petunt 'quod liceat nobis orationum, et psalmodiæ, et vigiliarum modum tenere, quem Patres nostri habuerunt pro amicis nostris *viventibus* et defunctis, id est quotidianam precem *pro te Domine Auguste et pro liberis tuis* et pro omni populo Christiano, quam mane quando in unum convenimus, et capitulum de Regula coram fratribus legebatur, exsurgentes post lectionem ter ℣. *Deus in adjutorium meum intende* adjuncta *Gloria Patri* cantantes, flexis genibus psalmum L. cecinimus simul cum versibus et collecta.'

" XXXV. Sextus capitularis actus a nobis designatus erat institutio ac nominatio officialium. quæ cum sabbato fieret in capitulo, non tam ad quotidianos ritus quam ad eos qui per hebdomadam eveniunt, spectat; ac proinde in sequentem librum remittenda videtur.

"XXXVI. Septimus erat culparum publica confessio, proclamatio, et emendatio, de qua tria nobis breviter inquirenda sunt 1. Quam sit apud Monachos antiqua. 2. Quoties et quando fuerit. 3. Quo modo.

"XXXVII. Primum quod spectat, spontaneæ ac publicæ culparum apud monachos confessionis antiquitatem ab ipsis fere vitæ monasticæ cunabulis repetere licet; hanc in primis commendavit S. Basilius, docuit ac recepit S. Benedictus, aliique perplures præscripserunt. De S. Basilio luculentum extat testimonium in serm. de Institutione Monachorum: 'Completo die,' inquit. serm. 1. de Instit. Mon. 'et absoluto opere tum corporali tum spiritali; convenit ut unusquisque ante requiem conscientiam in corde suo judicet, et si quid fecit, quod non oportet, vel cogitaverit aliquid eorum, quæ condemnantur, vel loquutus fuerit extra id quod decet, vel ad orationem fuerit negligens, ad psalmodiam tædio anxius, vel communem vitam desideravit: non abscondat delictum; sed in communi annuntiet, ut per communem orationem sanetur morbus illius, cui tale malum contigerit.' S. Benedictus 'Collectis fratribus inobedientem Monachum de infidelitate sua et superbia coram omnibus increpavit,' ut scribit S. Gregorius l. 2. dial.

dial. c. 28. et in Regula c. 46. præscribit, ut si quis 'aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit, et non veniens continuo ante Abbatem, vel congregationem, ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.' S. Isidorus ter in hebdomada collationem fieri præcipit, 'et ipsa quoque collatio,' inquit c. 8. 'erit vel pro corrigendis vitiis, instruendis moribus, vel pro reliquis caussis ad utilitatem cœnobii pertinentibus;' et alibi c. 15. 'Peccatum palam commissum, palam est arguendum . . . . . qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet, quam expetit.' S. Fruct. in Regula monastica communi c. 13. 'Propter hoc ergo jugiter jubemus in collecta fratres adesse, et non plusquam septem dies interponere, et per omnes dies Dominicos mores pristinos et vitia emendare.'

"XXXVIII. Tempus ad id exercitii destinatum non unum fuit apud veteres monachos. Scribit Nebridius a Mundelheim in Antiquario monastico p. 299. diem Dominicum illi deputatum fuisse, idque post Matutinos. Diem Dominicum, ut modo vidimus, assignat S. Fructuosus; sed S. Isidorus 'tribus' inquit c. 8. 'in Hebdomada vicibus fratres post celebratam Tertiam dato signo ad collectam conveniant.' S. Basilius et S. Benedictus nullum ad corrigendas culpas diem assignatum determinant quoniam id diebus singulis fieri volebant; et quidem S. Basilius *completo die*. S. Benedictus post Primam æstate, hyeme post Tertiam, ut communis Ordinis usus habuit; et certe olim correctas fuisse quotidie culpas, aut saltem dici potuisse, patet ex Hildenaro in Regulam S. Benedict. in c. 46. ex antiquo Ordine conversationis Monasticæ; ex antiquis Germaniæ consuetudinibus; ex Concordia Dunstani, Statutis Lantfranci, MS. consuet. Cluniacens. libro usuum Cisterciensium, et Cæremoniali Bursfeldensium. Idem canonicis suis præscribit Crodegangus Mettensis Episcopus in Reg. c. 18. Idque ipsum observant etiam nunc Cassinenses, exceptis tamen festis. Nunc vero Fuliensium constitutiones c. 16. tres in hebdomada dies statuunt, fer. 2. 5. et Sabb. etiam in diebus festis, nisi forte sint sermonis ad confitendas emendandasque culpas: Vallisoletani fer. 2. et 6. festo 4. capparum aut de præcepto non occupatas; Cœlestini in Const. c. 19. §. 1. duos item dies in monasteriis principalibus; 4. et 6. feria, nisi festum sit duplex; unicum in minus principalibus 4. vel 6. feriam: in Const. Cœlestinorum MSS. c. 15. singulis diebus aut saltem ter in Ebdomada 2. 4. et 6. feriis. In non conventualibus vero bis, 4. et 6. feriis. Idem semel dumtaxat in Dominica præstant Carthusiani ex nova collect. statut. Carthus. part. 2. c. 8. n. 4. Unicam etiam huic satisfactioni feriam 6. assignat Reg. Monachorum apud Hieron. c. 9.

"XXXIX. De modo vix reperire licet aliquid apud antiquos; de nostris vero

 multa

multa nobis suppeditant antiquus Ordo conversationis Monasticæ, MS. Germaniæ cons., Concord. Dunstani, statuta Lanfranci c. 19. l. Us. c. 70. &c.

"XL. Primo enim Ordo conversationis monasticæ præscribit, ut lecta expositaque Regula, 'qui culpabilis est postulet veniam, et secundum modum culpæ judicium recipiat.' Ea propter ex antiquis Germaniæ consuet. MS. Prior dicebat: *Si aliquid sit loquendum, edicite*, sive ut habent statuta Lanfranci, liber usuum Cisterciensium, ceremoniale Bursfeldensium dist. 1. c. 4. *Loquamur de ordine nostro*[g].

"XLI. 'Tunc unusquisque,' ut prosequuntur consuetudines Germaniæ n. 33. 'apud se tractat, si aliquid deliquerit in loquendo, in manducando, bibendo, in dormiendo; et si culpabilem per conscientiam suam se prospexerit prosternet se ad terram, confitebiturque reatum; post interrogationem tamen Prioris ita dicentis: *Quid dicitis?* illiusque respondentis *Mea culpa*, et Prioris *Surgite* proclamantis; post istam interrogationem reddet rationem, accipietque voluntarie sibi imperatam sententiam, aut jejuniis, aut orationibus, sæpe etenim præcipitur cantare septem aut tres, aut duos, aut unum, cuncta secundum modum culpæ.' Contractius Udalricus in lib. 2. cons. Clun. c. 17. 'Postquam ventum fuerit ad actionem capituli, si quid ei excessus aliquo modo contingit, quod alius vidit, et digne potuerit reclamare, ipse præveniens petit veniam, et illam veniam corpore toto prostrato culpamque suam fatetur, quantacumque fateatur, tamen non amplius petit veniam, præter illam quam petiit.' Fusius vero ceremon. Bursfeldensium, &c. 'Cum aliis consuetis expeditis, præsidens dixerit: *Loquamur de ordine;* Mox qui se in aliquo reum noverit, surgens veniat in medium ibidem pronus se in terram prosternens; et ita jaceat sinistro plus incumbens lateri, manibus simul et pedibus decenter ad invicem combinatis, interrogatus autem a præsidente: *Quid dicis?* Respondeat: *Culpam meam*, et ad jussum præsidentis erectus, stans in eodem loco discooperto et parum inclinato capite, simpliciter, absque omni palliatione, voce clara confiteatur negligentias suas. Expediant autem se primo, si illic fuerint, Novitii, Conversi, atque Hospites; deinde Monachi suo ordine incipientes a junioribus. Non prohibentur duo vel tres aut plures surgere insimul, et pro suis negligentiis veniam petere. Et cum plures fuerint simul in judicio; qui prior fuerit, in capite stet, partis dextræ ex adverso Crucifixi, et primus loquatur, et cum singuli dixerint culpas suas, judicentur, et de judicio dimittantur singulariter singuli, aut communitur pro ut casibus exigentibus visum fuerit Præsidenti: Dimissi vero de judicio redeant ad loca sua. Novitii si sint, mox ut fuerint expediti, aut certe si non sit ab eis vel in eos proclamatio faciendo, statim ut dixerit Præsidens: *Loquamur de ordine*, ipsi exeant, intrantes ecclesiam vel dormitorium: Similiter faciant hospites, ita ut Novitii nullius alterius;

[g] See Introduction, p. xci.—Ed.

alterius; hospites vero dumtaxat Novitiorum proclamationi intersint. Die autem quo Conversis servatur capitulum, tam novitii quam hospites ante illorum expeditionem, et illi expediti similiter exire debent ut præfertur.'

"XLII. Publicam spontaneamque confessionem sequebatur occultarum culparum publica etiam denunciatio, quam proclamationem Majores nostri vocarunt, eamque satis innuit ipse S. Pater Benedictus statuens, ut delictum 'dum per alium cognitum fuerit, majori vindictæ subjaceat.' Ab ea tamen abstinent Cassinenses, et nos eorum exemplo, licet omni tempore apud nostros usitata videatur. Proclamationis formulam hanc præscribit Trithem. in exercit. Monach. 'Dilectus frater noster hoc vel illud commisit, rogo, quatenus emendare se propter Dominum velit.'

"XLIII. Ut autem aliquis accusatus seu proclamatus esset, statim in terra prostratus dicebat *Mea culpa:* extat hac de re capitulum 13. Monachorum Sangallensium, sæc. 4. Ben. part. 1. p. 742. 'Ut in capitulo seu ubicumque quis increpatus fuerit, statim veniam petens dicat *Mea culpa:* et jussus surgat, et sic humiliter rationem reddat: Et si quisquam hoc facere contempserit, duplici vindictæ subjaceat;' Et in Concordia Dunstani c. 1. 'omnis autem frater pro quacumque caussa increpatus ab Abbate, vel a quolibet Priore antequam verbum aliquod proferat, veniam petat, et dum a Priore interrogatus fuerit, quæ sit caussa pro qua veniam poscit, respondeat, atque suam profiteatur culpam, dicens *Mea culpa Domine*, hinc jussus, erigat se.' Idem habetur in Ord. conversationis Monasticæ; et in statutis Lantfranci c. 19. 'Interrogatus more solito qui prosternitur, ad omnes venias *Mea culpa* dicat;' et in MS. consuetudinibus Cluniac. 'in omnibus veniis quæ in capitulo petentur, dicendum vel respondendum *Mea culpa* ei qui capituluin tenet, eum dixit *Quid dicitis.*' Denique in libro Usuum Cisterc. cap. 70. 'Qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondens in sede sua petat veniam tenenti capitulum, eumque interroganti *Quid dicitis?* Respondet prostratus *Mea culpa;* et ad jussum illius erectus, si reus fuerit, humiliter culpam suam confiteatur, et de reliquo emendationem promittat.'

"XLIV. Cum vero proclamaretur aliquis, omnes, qui ejusdem erant nominis, prostrati in terra veniam postulabant, nisi forte singulariter aliquis designaretur; 'Est autem consuetudo,' inquiunt MS. consuet. Cluniac. 'quod cum unus clamatur, omnes, qui ejusdem nominis sunt, cujus est ille qui clamatur, debent se præsentare, donec clamator eligat, de quo dicit, nisi ipse clamator adeo discreverit, et determinaverit, de quo dicat, ut nulla dubitatio sit; et Lantfrancus in statutis: 'Si clamatur aliquis, qui commune cum uno aut pluribus nomen habeat, nisi clamans ita discernat et determinet, ut nulla dubitatio possit esse, omnes qui ejusdem nominis sunt cujus est ille, qui clamatur, statim debent surgere, et ad venias humiliter se præsentare, donec clamator determinate eligat, de quo dicat.' Idem habent Divionenses S. Benigni cons. c. 32.

Porro

Porro ad vitandam omnem in proclamando ambagem, proclamatos aut a gradu, aut ab officiis designabant: 'Ipsa autem determinatio,' inquit Lantfrancus, 'ab ordinibus vel officiis, si fieri possit, debet esse hoc modo: Dominus Eduardus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Secretarius, Magister infantum vel juvenum, vel aliquid hujusmodi, non Archidiaconus, non Londoniensis, non aliquid cognominatum de sæculo.' Taliterque designatus pronus in terra *Mea culpa* dicebat, et sic judicium expectabat. Illud autem judicium erat ad Abbatis arbitrium pro gravitate aut levitate culparum: 'Postea autem,' inquit Udalricus l. 2. cons. Clun. c. 17. 'pro eo pro quo est reclamatus, sustinet quod Prælato videtur; vel vapulare, vel esse in culpa leviori, nam quæ ad graviorem culpam pertinet, de his non loquor hac vice;' quod prius judicium, nempe vapulare, ita describit S. Lantfrancus cap. 19. 'Suscepturus judicium aut sola grossiori virga super stamineam verberetur, et prostratus jaceat; aut pluribus gracilioribus virgis, et nudus sedeat; utrumque ad arbitrium ejus qui præest Ordini, considerata qualitate et quantitate culpæ. Dum corporalis disciplina infertur, fratres omnes inclinato capite debent esse, et pio et fraterno affectu compassionem super eum habere;' Et liber Usuum Cisterciensium: 'Verberandus postquam ab Abbate exui jussus fuerit, mox assideat in eodem loco in quo stat, et exuens cucullam ponat eam ante se super genua sua, per caputium vero tunicæ exerat brachia, et totum corpus usque ad cingulum, et consistens inclinato capite nihil dicat nisi tantum *Mea culpa*, *Ego me emendabo*, quod crebrius repetat. Sed neque alius interim loquatur, nisi forte aliquis de Prioribus pro eo humiliter intercedat; qui autem eum verberat, non cesset a verbere usque ad jussionem Abbatis; qui dum quieverit, adjuvet illum frater ad induendum, qui indutus et erectus non se moveat, donec Abbas dicat, *Ite sessum;* et tunc inclinans eat in locum suum.' Et Anonymus in Vit. S. Stephani, Abbatis postea Obaz. n. 17. 'Si quis verberandus esset; mox exuto eo, quinquagesimus incipiebatur psalmus, ut ad singulos versus singulos ictus acciperet, quod si major esset culpa, ampliores psalmi apponebantur, ut ampliori verbere sulcaretur.' Tom. 4. Misc. Baluz. Percutiebatur autem ab eo, cui jusserat Abbas, aut Præpositus; hoc tamen observato 'ne infantibus, vel juvenibus, aut novitiis id facere injungatur,' ut loquitur Lantfrancus c. 9. sed neque ei qui eum proclamavit, id enim prohibent tam ipse Lantfrancus, quam editæ, ac MS. consuet. Cluniacenses et S. Benigni c. 32. et liber Usuum Cisterciensium, in cujus c. 70. et illud habetur: 'Ille qui inferioris gradus est, non debet verberare superiorem, id est Diaconus Sacerdotem, sed æqualis æqualem, vel superior inferiorem.' Porro ad vitandam omnem, quæ hoc casu contingere posset, inhonestatem, præscribunt Cluniacensis Monasterii consuetudines lib. 2. c. 17. ut 'quando scilla pulsatur ad capitulum, stamineum suum undique detrahat, et honeste componat, ut paratus sit, si aliquo modo accusatus judicium quærere jubetur;' quod idem habent Divionenses S. Benigni cons. c. 32.

"XLV.

"XLV. Denique circa hujusmodi proclamationes nonnulla nobis supersunt observanda. 1. Poterat unus et idem Monachus pluries in eodem capitulo proclamari: 'Quod si alius de illo reclamaverit,' ait Udalricus l. 2. cons. Clun. c. 19., 'tunc quidem quoties de se reclamare audierit, toties quoque veniam petit;' et liber Usuum Cisterc. cap. 70. 'Quando aliquis surgit in judicium clamatus ab alio, quoties clamabitur in ipso judicio, toties satisfaciat.' 2. Proclamatus ab aliquo eundem vice versa proclamare non poterat: 'Et sciendum,' infit lib. Us. Cisterc. 'quod qui clamatus fuerit, non faciat clamationem ipsa die super illum, qui eum clamavit;' et liber Usuum Becc. 'Clamatus frater clamantem se non reclamare audeat, quia videtur hoc ira dictante facere, et se revindicare.' 3. 'Quod si sedens et reclamationem de se audiens,' inquit Udalricus loc. cit. 'prius quicquid responderit, quam veniam petierit, jussus ut se prosternat in ipso froco suo, unam accipiat percussionem.' Simile aliquid loquuntur Divionsenses S. Benigni cons. c. 32. 4. Merito monent Cistercienses (lib. Us. Cist. c. 70. dist. 1. c. 15.) ut 'nullus faciat clamationem super aliquem ex sola suspicione, nisi de hoc quod audierit, vel viderit, vel referri audierit;' quibus consentiunt Bursfeldenses qui hujusmodi proclamationem feriis tantum sextis ab inferioribus, quotidie tamen a Præsidente fieri permittunt. Cæterum ut recte statuunt iidem Bursfeldenses 'Caveat qui proclamat, ne hoc faciat ex aversione vel rancore, sed affectuoso fraternæ dilectionis amore; non ex passione cum quadam animi indignatione, seu cordis amaritudine, sed pia magis compassione, in spiritu lenitatis, et ita honeste et modeste in proclamando se gerat, ut nec voce, nec nutu, aut signo aliquo appareat quidquam indecens in proclamante, vel distortum, unde possit perturbari proclamatus, aut scandalizari circumsedentes pusilli.' Vid. Goffridi Abbatis Vindocinensis Opusc.

"XLVI. Quo autem animo fieri proclamatio, eodem etiam recipi debet ab eo qui accusatur: nimirum in spiritu humilitatis et lenitatis, et cum firmo culpas emendandi desiderio; absit enim ut quisquam proclamationem in se factam indigne ferat; aut memores animos in accusantem se vel minimum conservet; meminisse enim debemus hujus S. Bernardi sententiæ serm. in Nat. S. Joan. Bapt. 'Nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo; nemo dicat: Numquid custos fratris mei ego sum? Nemo quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit Ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire silere, cum arguere possis. Et scimus, quia similis pœna facientes maneat et consentientes.'

"XLVII. Tandem quæcunque acta fuerant in capitulo, sub severo tegebantur silentio, unde liber Usuum Beccensium 'Quæcunque aguntur in capitulo,' inquit, 'confessio est, et ut confessio celari debet: Itaque si quis deprehensus fuerit extra loqui de his, quæ acta sunt in capitulo, districte emendari debet.'

"XLVIII. Denique his omnibus peractis surgentes a capitulo quinque pro de-

 functis

functis psalmos decantabant; scilicet *Verba mea: Domine ne in furore: Dilexi quoniam; Credidi;* et *De profundis*, ut præscribunt Conc. Dunstani atque antiquæ Germaniæ consuet. manuscriptæ. Quibus finitis pulsata tabula mittebantur ad opera; et hic est ultimus capituli actus, de quo plenius ac fusius capitulo sequenti disserendum est."

INDEX

OF

NAMES WHICH ARE CONTAINED IN THE OBITS.

Page.

A.

ABbay, Elisia. 6 Id. Aug. . . . 36
Adam: *Canon.* 4 Non. 9
Adam. 7 Kal. Feb. 8
Adoke, Henricus. 6 Non. Mart. . . 14
Agneta: *uxor Thome Bluet.* Id. Mart. 16
Alanus: *Sacerd. et Canon.* 16 Kal. April. 21
Alanus. 9 Kal. Jul. 29
Alanus: *Canon.* 3 Non. Jul. . . . 31
Aldelmus: *Canon.* Kal. Dec. . . . 52
Alen, Katerina. 5 Id. Nov. 49
Alexander: *Canon.* 10 Kal. Jul. . . 29
Alexander, Katerina. 3 Id. Jul. . . 32
Aleyn, Iohannes. *Decan. S. Patricii, Dublin.* 4 Non. Jan. 5
Alford, Thomas. 6 Id. Maii, . . . 24
Alford, Thomas. Kal. Jun. 27
Andreas. 7 Kal. Dec. 51
Androwe, Johanna. 7 Id. Jul. . . . 31
Androwe, Isota. 6 Id. Feb. 10
Archedekyn, Wilhelmus: *Thesaur. S. Patricii. Dub.* 18 Kal. Feb. . . . 7

Page.

Arde. 10 Kal. Sep. 38
Arsdekyn, Johannes. 4 Non. Maii, . 23
Aseh, Thomas. 7 Id. Feb. 10
Asche, Johannes. Non. Apr. . . . 19
Asche, Thomas. 6 Non. Jul. . . . 30
Athryde. 4 Non. Jun. 27
Audoenus: *Canon.* 7 Id. Oct. . . . 45
Augustinus: *Canon. et professus.* 10 Kal. Mart. 12
Augustinus: *Canon.* 16 Kal. Jul. . . 28
Axon, Willelmus. 7 Id. Aug. . . . 35

B.

Baggat, Johanna. 5 Id. Jan. 6
Balfe, Ricardus. 14 Kal. Apr. . . . 16
Balff, Elizabeth. 7 Id. Feb. 10
Baligryffyn. 8 Id. Jan. 27
Ball, Thomas. 2 Id. Jan. 6
Balle de Ballischadan, Ricardus. 3 Kal. Apr. 18
Ballilog, Willelmus. 5 Kal. Mart. . 13

Page.

Balliscaddan. 5 Non. Oct. 44
Ballischaddan. 3 Kal. Apr. 18
Ballybogan. 3 Kal. Sept. 39
Ballymor, Willelmus de: *Canon.* Kal. Dec. 52
Ballymore. 7 Kal. Sept. 38
Balroddry. Vide *Sauage.*
Baly, Thomas. 13 Kal. Dec. 51
Banke, Mabilia de. 13 Kal. Apr. . . . 16
Barby, Elinora. 2 Id. Jun. 28
Barbus, Ricardus. 11 Kal. Mart. . . . 12
Barnuell, Patricius: *de Gratia Dei.* Id. Nov. 50
Barnuall, Elysabeth. 3 Kal. Sept. . . . 39
Barnuylle, Reginaldus de: *Canon.* 3 Id. Dec. 54
Barnwode, Willelmus. 10 Kal. Aug. . . 33
Baronn, Margareta. 2 Non. Maii. . . . 23
Barre, Johannes. 4 Id. Jun. 28
Barret, Johannes: *Capellanus.* 4 Kal. Dec. 52
Barret, Ricardus. 15 Kal. Nov. . . . 46
Barrett, Wyllelmus. 16 Kal. Oct. . . . 42
Bateman, Johannes. Non. Mart. . . . 15
Bathe, Willelmus. 4 Kal. Maii, . . . 22
Bayly, Thomas: *Capellan. de Donboyn.* 4 Non. Apr. 18
Baythe, Johannes. 9 Kal. Apr. 17
Bedfordia, Gylbertus de: *Canon.* 3 Non. Feb. 9
Bedford, Ricardus de: *Canon.* 19 Kal. Sept. 37
Bedford, Rogerus de: *Canon.* Kal. Jul. 30
Bedlewe, Johannes. 4 Kal. Nov. . . . 48
Beg, Johanna. 9 Kal. Sept. 38
Beline, Johannes. Kal. Sept. 39
Bellew, Johannes. 10 Kal. Jan. 55
Bellew, Margareta. 4 Non. Aug. . . . 35
Bellew, Philippus. 12 Kal. Jan. . . . 55
Bellew de Roche, Ricardus. 13 Kal. Feb. 7

Page.

Bellewe, Elizabeth, ... 58
Bellewe, Philippus: *Maior Dublin.* 12 Kal. Nov. 47
Bellycampo, Walterus de: *Canon.* 4 Non. Dec. 52
Bem, Johanna. 4 Kal. Dec. . . . . ib.
Bennet, Thomas. 7 Kal. Sept. 38
Bennet, Walterus: *Sacerd. et Canon.* 17 Kal. Nov. 46
Benett, Johannes, ... 58
Benett, Thomas. 10 Kal. Jun. 25
Benett, Thomas. 58
Benett, Willelmus: *Canon. ad Succurrend.* 4 Id. Dec. 53
Beon, Johannes: *Canon.* 12 Kal. Jul. 29
Bergy, Ellena. 11 Kal. Feb. 8
Berld, Willelmus. 4 Id. Jun. 28
Bernardus. Non. Oct. 45
Bernewall, Margarete. 8 Kal. Mart. . 12
Bertylmew, Anna. Kal. Feb. 9
Berwayl, Ricardus. 2 Kal. Nov. . . . 48
Blake, Juliana. 12 Kal. Feb. 7
Blake, Matheus. Id. Maii, ... 24
Blake, Nicolaus. 14 Kal. Aug. . . . 33
Blake, Petrus. 14 Kal. Aug. . . . . ib.
Blake, Robertus: *Canon. Omn. Sanct.* 14 Kal. Apr. 16
Blake, Willelmus. 2 Id. Maii, ... 24
Blakeney, Patricius. 5 Id. Maii, . . . ib.
Blakiston in comit. Tryell. 5 Kal. Mart. 13
Blakney, Johannes. 4 Id. Jan. 6
Blangwyle, Robertus. 17 Kal. Aug. . . 32
Bluet, Thomas. Id. Mart. 16
Bluet, Willelmus: *Capellanus.* Id. Mart. ib.
Blunket, Henricus. 2 Kal. Apr. . . . 18
Bochone, Johanna. 7 Id. Feb. 10
Bodnam, Edmundus. 6 Id. Oct. . . . 45
Bonasi: *Mercator.* 13 Kal. Mart. . . . 11
Bonewyll, Thomas: *Canon.* 4 Id. Sept. 41
Bonuile, Willelmus. 3 Id. Feb. . . . 10

Page.

Bornel, Robertus. 7 Id. Sept. . . . 40
Bossard, Alicia. 9 Kal. Aug. . . . 33
Bothy, Richardus: *Notarius.* 2 Kal. Oct. 44
Bottry, Thomas le. 3 Non. Jun. . . 27
Botyler, Johanna. 3 Non. Apr. . . . 18
Bottyler, Jacobus le; *Comes Ormonie apud Arde.* 10 Kal. Sept. 38
Bottlyer, Thomas le: *Prior Hospit. S. Ioh. Ierus. in Hibern.* 4 Id. Aug. . 36
Bourke, Johannes. Id. Apr. 20
Bourke, Nicholaus: *Maior Dublin.* 4 Id. Aug. 36
Bourke, Nicholaus. 58
Boys, Patricius: *Maior Dublin.* 7 Id. Mart. . , ... 15
Boyse, Katerina. 7 Id. Jul. 31
Brabson, Wyllelmus; *Miles et Subthesaur. Dom. Regis in Hybernia.* 7 Id. Jul. ib.
Braddesforde, Willelmus: *Sacerd. et Canon.* 2 Id. Dec. 54
Braybrok, Philippus: *Canon.* 8 Kal. Dec. 51
Breccley, Anna. 15 Kal. Jun. . . . 25
Bretayne, Johannes. Non. Aug. . . 35
Bretnagh, Cristoforus. 17 Kal. Nov. . 46
Bricius: *Canon. ad Succurrend.* 4 Kal. Feb. . , ... 9
Brmyngham, Philippus: *Cop. Just. Banch. Dom. Reg. in Hibern.* 3 Kal. Feb. . ib.
Bron, Alicia: *Monial. de Hoggys.* 17 Kal. Jan. 54
Bron, Christiana. 4 Non. Feb. . . . 9
Bronne, Margaret. 15 Kal. Aug. . . 32
Browne, Henricus. 8 Kal. Mart. . . 12
Brune, Willelmus. 12 Kal. Aug. . . 33
Bruton, Johannes. Non. Maii, . . . 24
Bryan, Johannes. 3 Kal. Apr. . . . 18
Brymgam, Thomas: *Maior Dublin.* 7 Kal. Maii, ... 22
Brymgam, Jacobus. 18 Kal. Feb. . . 7
Bryne, Alicia. Kal. Maii, ... 23

Page.

Brystol, Henricus de: *Prior.* 19 Kal. Jan. 54
Brytayne, Johannes. 19 Kal. Jan. . . ib.
Brytt, Elysabeth. 14 Kal. Jan. . . . ib.
Brytte, Elizabeth, ... 58
Bul, Walterus: *Canon.* 9 Kal. Dec. . 51
Bukley, Elyzabeth: *Domina de Malahyd.* Id. Feb. 11
Burgo, Johanna de, *Comitissa Kildarie,* 57
Burnell, Johannes. 3 Kal. Sept. . . . 39
Burnell, Thomas. 6 Non. Jul. . . . 30
Burnell, Patricius. 3 Non. Oct. . . . 44
Butler, Willelmus, Fyzthomas, Fytzclement: *Burg. de Novo Rosponte* [*New Ross*]. 3 Non. Dec. 53
Butyller, Thomas. 5 Kal. Jun. . . . 26
Bygdoume, Jacobus. 5 Id. Mart. . . 15
Byuclay, Galfridus. 2 Id. Feb. . . . 11
Byrford, Margeria. 16 Kal. Aug. . . 32
Byrforde, Anna. 2 Id. Apr. 20
Byrforde, Cristoforus. 8 Kal. Aug. . 33
Byrfforde, Thomas. Id. Sept. . . . 41
Byrssall, Alicia. 16 Kal. Dec. . . . 50
Byrtt, Johannes. 4 Id. Oct. 45
Byssett, Willelmus: *Canon. S. Thome Mart.* 41

C.

Cadell, Robertus. Non. Oct. . . . 45
Cadwell, Robertus: *Canon.* 8 Id. Sept. 40
Calff, Robertus: *Canon.* Kal. Mart. . 13
Calyng, Henricus. 11 Kal. Feb. . . 8
Calyug, Ricardus. 11 Kal. Feb. . . ib.
Cantrell, Agueta. 3 Non. Maii, . . . 23
Cantrell, Jeneta. 4 Non. Sept. . . . 39
Cantrell, Johannes: *Sacerd. et Canon.* 8 Kal. Mart. 12
Cantwell, Johannes. 7 Id. Aug. . . 35
Carleton, Johannes de. 15 Kal. Mart. . 11
Carmadine, Robertus: *Sacerd. et Canon.* 4 Kal. Jun. 26

Page.

Carnalway, eccl. 12 Kal. Feb. . . . 7
Carpintar, Robertus. 7 Kal. Mart. . 12
Cartemel. 11 Kal. Mart. 11
Cascell, Willelmus. Non. Maii, . . . 23
Caschell, Willelmus, ... 57
Cashelle, Nicholaus. 5 Non. Jul. . . 30
Castlemartyn, Anna. Kal. Oct. . . . 44
Castrokaok. Vide *Sariaunt.*
Castroknoke. 12 Kal. Aug. 33
——— 3 Id. Sept. 41
Catelyn, Willelmus. 16 Kal. Jul. . . 28
Cavan, Edwardus. 2 Kal. Apr. . . . 18
Celi, Alicia. 5 Id. Jul. . , . . . 32
Cely, Johannes: *Episc. Dun.* 2 Non. Apr. 19
Champflor, Walterus: *Abbas Monast. b. Marie.* 5 Kal. Feb. 8
Champnes, Johannes. 6 Kal. Aug. . . 34
Chamyr, Johanna. 5 Non. Maii, . . 23
Chamyr, Robertus. 17 Kal. Jun. . . 25
Chamyrlayn, Patricius, ... 59
Chapelyssor. Vide *Sawage.*
Chyllam, Johannes. 4 Kal. Jun. . . 26
Chyllam, Johannes. 17 Kal. Aug. . . 32
Clement, Rosina. 4 Id. Mart. . . . 15
Clerk, Nicolaus. 5 Id. Mart. . . . 63
Clerke, Elena. 4 Kal. Jan. 56
Clondalwey, Isabella. Non. Jan. . . 5
Clonkene, Laurencius de. 12 Kal. Mart. 11
Clontarf, Walterus de: *Canon.* 3 Non. Jun. 27
Clynton, Agnes. 11 Kal. Maii, . . . 21
Coke, Katerina. Non. Apr. 19
Coke, Nicholaus. 10 Kal. Sept. . . . 38
Coke, Willelmus: *Prior dom. b. Marie juxta Dublin.* 12 Kal. Jul. 29
Colcot. Kal. Apr. 18
Collyer, Thomas: *Maior Dublin.* 4 Id. Sept. 41
Colman, Johannes. 9 Kal. Sept. . . . 31
Colton, Anna. Id. Oct. 46
